752607

752607

752607

752607

752607

752607


VAL. THILO-
NIS
PATHOLO-
GIA ORATO-
RIA.
SVMPTIBVS MART. HALLERVORDI.

KÖNYVTÁR DEBRECEN

752607

VALENTINI THILONIS

# PATHOLOGIA ORATORIA:

*SEU*

Affectuum movendorum ratio
Succinctis Præceptis propoſita,
Claſſicis' Exemplis illuſtrata,
Accuratis Ideis expreſſa:

CUM SINGULARI SER. ELECTORIS BRANDENB. AD DECENNIUM PRIVILEGIO,




*SUMPTIBUS EVULGATA,*
MARTINI HALLERVORDII
BIBLIOPOLAE,
*REGIOMONTI*
*EXCUSA*
PRAELO-REUSNERIANO,
M. DC. [illegible]

*NOBILIBVS, CONSVLTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS,*

DOMINIS:

# Dn. PRAECONSVLI AC RELIQVIS REGIONIS, INTER REGIOMONTANOS, PALAEOPOLITANAE SENATORIBVS GRAVISSIMIS:

*PATRONIS AC FAVTORIBVS MEIS COLENDIS*

PATHOLOGIAM

*HANC*

AFFECTVS TESTANDI E.

DEDICO.

752607

NEq; poteram aliter, CONSVLTISSIMI DOMINI, PATHOLOGIAM hanc Oratoriam, quam principem eloquentiæ omnis partem communis omnium ſeculorum conſenſus ſtatuit, in publicum producturus, quam HONORATISSIMIS VESTRIS NOMINIBVS eandem conſecrare. Scilicet requirebat id à me ſingularis VESTER AFFECTVS, quem non mihi modo & olim teſtati eſtis, & quotidie abundantiſſime teſtamini, ſed quem inſuper

& diu ante me mei ſunt ex
perti. Vixit inter vos PA-
RENS MEVS, & ita (quid-
ni enim & pijs ejus mani-
bus, hoc filialis honoris mo-
nimentum mea ſtatuat pie-
tas?) vixit, ut muneris
ejus, quod in Eccleſia veſtra
XVI. annorum ſpatio, (neq;
enim plures concedebat
cœleſtis providentiæ placi-
tũ) geſſit, potiſſimũ fructũ
AFFECTVM VESTRVM
habuerit, quo & vivum be-
neficentia cultuq; plane ſin-
gulari proſecuti eſtis; &
mortui hodienum, non ni-
ſi gratiſſimã uſurpatis me-
moriam. Quod quidẽ niſi
ſanctiſſimæ mihi oblecta-
tionis

752607

tionis loco ſit, ac debitum reciproci affectus cultum, provocet, humani omnis affectus expers ſim. Idq; eò magis, quo uberiorem ejus rei fructum in me quoq; derivatis. Orbabar quippe tum minorennis utroq; parente, & continuanda tamē erat (ita jubebat, præter parentē, meus me Geniꝰ) inter difficilimam fortunam, literariæ rei opera: hîc VESTER ORDO anguſtiores reculas liberali XIV. & plurium annorum ſtipendio ita juvit, conſilio inſuper atq; favore ita, quod ſuſceperam, promovit, ut veſtrâ tandem, juxta DEUM

ope emergere, ac eâ, quam divinum conſilium, ac clementiſſima SERENISSIMI NUTRITII voluntas (CUJUS MUNIFICENTIAM DEUS æterno bonorum cumulo compenſet!) tradiderunt, Spartâ fungi licuerit. Atq; ea dum legitis, BENEVOLENTIAE VESTRAE quoſdam ex parte fructus eſſe, quæcunq; offero, intelligitis. Quod ſi verò haud levis malitiæ nota eſt, arborem, cujus gratiſſimis fructibus paſcaris reficiarisq;, debito cultu privare: Ita vel hoc nomine, niſi turpiſſimâ ingratitudinis notâ ſignari

vel-

752607

vellem, debere VOBIS hunc affectũ videbar. Ne jam ADDICTISSIMVM EVM, quo, dum inter vos habito, me proſequimini, AFFECTVM, cujus tamen revera indies nova, eaq; clariſſima ſigna deprehendo, dicam: & illud inſtitutum hoc meum quàm validiſſimè urgebat, quod, cùm ſpecimen quoddam ſubſecuturæ Rhetoricæ, quam domi divina adjutus gratiâ, eadem in omnibus fere Methodo conſcriptam adhuc teneo, Pathologia hæc exhibitura eſſet, eam Veſtræ inprimis, HONORATISSIMI DOMINI, cenſuræ ſiſte-

re vellem, experturus, ſi fortè ita probaretur, ut Scholæ patriæ bono, cum reliquis Inſtitutionum Rhetoricarũ commentatiunculis, feliciter, quod opto, adhiberi poſſet. Nam & illud grati animi videbatur, intra cujus Diſciplinam ſuccreveris, ejus Scholæ pro virili promovere incrementum; maximè cum ſuo jam tempore Orator, longè nobilisſimũ Reipubl. munus eos conferre dixerit, qui educandæ juvẽtutis, hoc potisſimũ effuſisſimæ licentiæ ſeculo, curam juvant. Quæ quidem omnia, quamvis ſatis juſtisſimas eas oſtendant cauſas,

752607

quibus impulſus hoc dedicationis officio VOS, AMPLISSIMI DOMINI, adire voluerim: tamen neque, id multum meam mihi mentem confirmaſſe, negavero; quod unicum hoc feliciſſimum videretur medium, quo ulterius etiam in meos veſter affectus deduceretur. Memineritis credo, (neq; enim excidiſſe vobis permiſerit VESTER in me AMOR) ſæpe privatim VESTRAE BENEVOLENTIAE liberos meos, (quos Privignos AMPLISSIMO & LAVDATISSIMO VESTRI ORDINIS VIRO, JACOBO

SALI

SAHMIO, p. m. natos, mihi fatum dedit, aſt affectus revera Filios, juxta eos, quos mihi parenti naſci DEVS voluit, effecit) me commendaſſe, ac, quò VESTRVM AFFECTVM eadem in ſtudiis promovendis, quâ ego olim, facilitate experiretur rogaſſe: nunc verò, ut ſolemnior ejus rei exſtaret memoria, publicè iterare, quod petij, volui. Si ergo dignum me unquam, quod tamen ſolenniſſime teſtatos vos eſſe ſemper gratus prædico, VESTRO AFFECTV judicaſtis: hunc quoq; exiguum licet DE AFFECTIBVS libellum dignum

VE-

752607

VESTO AFFECTV judicate: ſimulq; quem confirmare hic ipſe conatur, conſtanti BENEVOLENTIAE AFFECTV me meosq;, etiam, dum ſupereſſe deſiero (ſolet enim ita verus affectus fata etiam vincere) fovere pergite! Ita diu & feliciter, CLEMENTISSIMO D. O. M. MVNITI AFFECTV, Patriæ civitati præeſte, ſupereſte, è Voto

*CONSVLTISSIMO VESTRO ORDINI,*

*Devinctiſſimi optimo affectus genere.*

V. THILONIS, Orat. P. P.
Facult. Philoſ. nunc
Decani.

*In*

# Pathologiam Oratoriam

*Clariſſimi Viri*

VALENTINI THILONIS

Epigramma.

QUæ nova ſe noſtris oſtentat Svada Boruſſis,
Non homines, ipſos nata movere Deos?
Fallor? an Italicis expulſus Tullius oris
Cernitur in noſtras ſic rediiſſe plagas?
Aut tuus, apparens alio nunc, Græcia, vultu
Socrates, attonitis detonat ipſe viris?
An quidam potius ſupera delapſus ab axe
Mercurius tali nos docet ore loqui?
Sic eſt: Romanis non hæc audita Cathedris,
Non Græcis unquam lecta fuere libris:
Divinam ſapiunt, quæ noſter tradidit, artem
THILO, Boruſſiacæ gloria lausq; Scholæ.

752607

Pingit non loquitur: non auribus hæ-
ret, in imas
Se inſinuant cordis verba animata
vias.
Dumq; cupit blandus ſvadendo flecte-
re mentes,
Imperat, & quo vult pectora tracta,
trahit.
Qualiter immotas Orpheus traducere
Sylvas
Scivit, & idomitis imperitare feris.
Aut medios hærens inter Delphinas
Arion,
Æquora demulſit cantibus ipſa ſuis.
Perge Tuos Divis ſic porro æquare la-
bores,
Nec mihi Iſocrates aut Cicero, di-
vus eris.

*Affini & Collega conjun-
ctiſſimo F.*

Michael Behmius, D.

---

*JAm procul AEoniâ, medijs mea puppis
in undis
Fluctuat, & navim Ventus & aura
ferunt.*

*Undiq;*

Undiq́; ſunt fluctus, eſt undiq́; & undiq́; pontus,
Et mare cæruleis ſtridet & horret aquis.
Littora reſpiciens benè nota, virentia tempe
Læta retrò, Aſcræus fons ubi fundit aquas:
Mons ubi Parnaſſi caput inter nubila condit,
Verticibusq́; ſuis arduus aſtra petit.
O ſacrum, dixi, nemus! O Parnaſſia rupes!
Muſæq́; & ſacri tu quoq́; fontis honos!
Heu mihi! quis vobis & me mihi reddet? amicis
Redde, precor, reducem me mea prora meis!
Pars quorum juxta fontis caput aurea fundunt
Carmina, pars lato Vertice dulce canunt:
Pars Vulgi errores damnant, vitaq́; beatæ
Præſcribunt leges, juſtitiamq́; docent,
Æterna Æoniis inſcribunt nomina ſaxis,
Quæ non delebit flamma nec imber edax.

Hos

752607

*Hos inter, Thilo, merito meus eſſe mereris,*
*Qui benè nunc animos flectere Voce doces.*
*Si mea, quæ quondam cecini, nunc Carmina poſcis,*
*Fruſtrà es; ſeceſſum ac ocia Carmen amat.*
*Hoc tamen à nobis ſi verbis fortè requiris*
*Pluribus, incultum hoc ac rude carmen hab .*
*Non oculis, nec mole ſuâ metire laborem,*
*Hoſpes: mole ſua Pyramis alta cadit.*
*Corpore nil magnum eſt; clari Virtute Thilonis*
*Hic labor, & verâ hoc laude perennat opus.*

faciebat

Johannes Sandius.

*Huma-*

Humanæ regimen ſubire mentis,
Occultasq; ſub artis officina
Nunc attollere cordis incitatum,
Nunc ſedare reciprocantis æſtum
Peithûs auſpicio, ignei vigoris
Res eſt, & ſapientiæ ſtupendæ.
Non vult imperio regi voluntas,
Non cogi violentiùs, rapive,
Sed ducique capique blandientis
Aſtus illice, fulminante linguâ.
Iſtud qua ratione fiat, ecce
Commonſtrat Thilo noſter hoc libello,
Scito, Juppiter, & cato libello!
Et quisquam meliùs paratiusve
Illô rem queat expedire tantam?
Quem nos vidimus aurea diſertæ
Linguæ compede Pruſsin eruditam,
Immò & Pruſsidos implicare Numen?
Felicem ter & amplius juventam
Hoc Doctore! quod alta vis Tyranni,
Quod

*Quod Regum furor, impiumque ferrum*
*Incaſſum experiatur, inde diſcit:*
*Et mentes domina occupare lingua.*

Simon Dachius.

---

THilo grande decus ſoli Boruſſi,
Noſtri Dulcis amor ducis Boruſſi,
Gentis delicium eruditioris
Osq; ſuaviloquens Scholæ Boruſſæ,
Theſaurum reperit diu repoſtū,
Et divulgat opes ſacras Minervæ,
Ignotas juvenum inſciæ catervæ,
Nec viſas prius à rudi popello,
Nec tactos alibi à Scholæ magiſtris.
Num ſic divitias, Thilo, ſacerdos
Muſarum, licuit tibi abſtuliſſe,

Olim

Olim Rhetoribus tacenda ſacra,
Infractis ſtudiis, labore multo
Inventa, & cerebro ſagaciori
Transformata magisq; perpolita
In lucem rapuiſſe, opes venuſtas
Non gemmis, neq; purpura, nec
auro
Venales, pretio dediſſe nullo,
Cunctis qui generoſiora diſcunt
Ut docti volitent virûm per ora
Et famâ memori diu colantur?
Scilicet licuit tibi Thiloni
Præcellenti alijs ſagacitate
Mentis. Ah! quoties viri diſerti
Suadelam revocare ſunt adorti,
Et ſummo potuêre vix labore:
Aſt nunc quam facili via & pa-
rata,
Sol magne eloquij, Thilo, reduxti
Ex aſtris Pylij ſenis loquelam.
Hinc infuſa vides fluenta linguæ
Mellita, hincq; madere verba
lacte,
Dulcis

752607

Dulcis eloquij; hinc adeſſe lin-
guam
Imberbi juveni diſertiorem.
Doctor diſcipulo hoc modo
præibas:
Sic tu proloquium parato pri-
mum,
Enarra, ratione roborato
Dicenda, amplifica, dein refuta,
Tunc conclude. Moveto ſubju-
gatos
Affectus, animo refunde bilem,
Hîc regnet pietas colenda, ſpes
hîc,
Hîc metus, ſapienter hîc amorem
Inſtilles animis, ibi dolorem:
Huîc confles odium, tibi favo-
rem.
Sic dulci ore trahes tibi obſe-
quentes
Omnes, ſic dominaberis volentes
In reges, animũ in trucis Tyranni.

Quod

Quod clarè docuit Boruſſa Suada,
Id præſtat ſcholico aureus libellus
Regno, flere docet prius fleat quam
Alter. Hic placuit, placet, placebit
Omnibus Charitum optimis alumnis.
Pubes Aonia ad fluenta montis
Regis exſiliens, loquace Ruſſo
Plenum frugibus alveum vehente,
Et carmen calamo canente rauco,
Ingrata caveas fruare mente,
Argento pretioſiore libro,
Polluto digito nefas putato
Librum tangere tam ſacrum, venuſtum;
Sed grates meritas refer Thiloni.

*f.*
*L. M. Q.*
**M. Jacobus Teucher.**

*Quin-*

752607



PEr totam cauſam locus eſt affectibus, & eorum non ſimplex natura, nec in tranſitu tractanda; quo nihil majus afferre vis orandi poteſt. Nam cætera forſitan tenuis quoq;, & anguſta ingenij vena, ſi modò vel doctrina, vel uſu ſit adjuta, generare, atq; ad frugẽ aliquã perducere queat. Certè ſunt, ſemperq; fuerunt nõ parum multi, qui ſatis apertè, quæ eſſent probationibus utilia, reperirent, quos equidẽ non contemno, ſed hactenus utiles credo, ne quid per eos Judici ſit ignotum, atq; (ut dicam quod ſentio) dignos à quibus cauſas diſerti docerentur. Qui verò Judicem rapere, & in quem vellet habitũ animi poſſet perducere, quo dicto flendum & iraſcendũ eſſet, rarius fuit. Atq; hoc eſt, quod dominatur in judicijs, hæc eloquentiã negant. Nã argumenta plerumq; naſcuntur ex cauſa, & pro meliore parte plura ſunt ſemper, ut qui per hæc vicit tantũ, nõ defuiſſe ſibi advocatum ſciat. Vbi verò animis judicũ vis afferenda eſt, & ab ipſa veri contemplatione abducenda mens, ibi propriũ

Ora-

Oratoris opus eſt. Hoc non docet litigator, hoc cauſarum libellis non continetur. Probationes n. efficiunt ſanè, ut cauſā noſtrā meliorē eſſe Judices putēt. affectus præſtant ut etiā velint. Sed id quia volunt, credunt quoq;. Nam cùm iraſci, favere, odiſſe, miſereri cœperint, agi jam rem ſuā exiſtimāt: & ſicut amātes, de forma judicare nō poſſunt, quia ſensū oculorū premit amor, ita omnē inquirendæ veritatis rationem Judex amittit, occupatur affectibus, æſtu fertur, & velut rapido flumini obſequitur: ita argumenta ac teſtes quid egerint, pronunciatio oſtendit: commotus autem ab Oratore Judex quid ſentiat, ſedens adhuc atq; audiens confitetur. An cum ille, qui pleriſq; perorationibus petitur, fletus erumpit, non palàm dicta ſententia eſt? Huc igitur incumbat Orator, hoc opus ejus, hic labor eſt, ſine quo cætera nuda, jejuna, infirma, ingrata ſunt. Adeò velut ſpiritus operis hujus atq; animus eſt in affectibus.

(o)

752607



# PATHOLOGIAE ORATORIAE

## CAPVT I.

## *De*

## GENERALIBVS NONNVLLIS AD MOTIONEM AFFECTVVM FACIENTIBVS.

DE *affectibus acturi, non prolixè de Deſinitione aut Diviſione eorundem, quâ ratione concupiſcibilis & iraſcibilis facultatis, in mitiores & grandiores ſ. ut Quintilianus loquitur, compoſitos & concitatos diſpeſcantur, multò minus quam rectè leniores affectꝰ ἤθη dicantur, prolixè diſpiciemus: quod priora duo Moralibus Philoſophis incumbant; de poſteriori proprius dicendi locus erit, ubi ad argumenta Ethica D.V. progreſſi erimus. Sed ea quæ maximè hujus loci ſunt, & Rhetorum Scholam ſpectant, tantum breviter tamen & hæc, perſequemur.*

*A Rhetorum autem Scholis affectus non excludi poſſe, quod de ijs Ethica & Phyſica agant, (prout id nonnulli Ariſtoteli obijciunt) primis etiam bonarum literarum tironibus conſtare puto, quibꝰ tritiſſima inter rem, & conſiderandæ hujus modum diſtinctio non eſt ignota.*

*Aliàs notari poteſt Ariſtotelica affectuum, quam in Rhetoricis tradit, definitio,* quod non is ſit affectus, per quem mutati animi de eadem re alio judicant modo: Sed quando inſuper animi commotionem ſequitur voluptas aut dolor.

*Quod Stoicis inprimis opponetur, qui affectum ipſam opinionem, ſeu de rebus judicium putabant, cum tamen hoc facultatis cognoſcentis, affectus verò ſentientis ſint. Ergò non ſemper ab affectu mutata opinio, ſed ab exactiori rei penſitatione, quamvis nõ neganda ſit voluptas conſequens mentem meliora edoctam.*

*Antequam autem de ſingulis affectibus in ſpecie agamus, nonnulla quæ gene-*

752607



*generatim, in movendis omnibus obſervanda ſunt, præmittemus. Communiſſimum ergo Præceptum Ariſtotelis eſt:*

In omni affectu movendo conſideranda tria eſſe: SVBJECTVM, quod affectum recipit: OBJECTVM, erga quod concitatur: & CAVSA, quæ affectum movet.

*His tribus præmittît definitionem, & ſubjungit praxin, ſicq; ſingulorum tractationem affectuum claudit.*

*Præterea verò alia nonnulla è dicendi Magiſtris, è Cauſino potiſſimum, excerpta, in gratiam Eloquentiæ cultorum notabimus.*

*Vt ergo feliciter moveatur affectus, initio ORATOR commoturus eum ſequentia teneat.*

Affectus bonos in cordibus hominum movendos multum juvat optimus æterni Numinis (cujus unius in animos eſt imperium) Spiritus: hinc quo familiariorem magisq; propitium hunc pietate habent homines, eo felicius movent alios.

Deinde ex humanis, morum ſimilitudo efficaciſſimum movendi affectus medium exiſtit, quod facilimè is affectus generetur in Auditore, quo abundat Orator, juxta illud: Incenſurus alium ardeat primùm ipſe.

*Hæc ſcilicet animorum ea cognatio, quæ quantum valeat, vel adulatorum exemplo patet, qui ut moveant aliorum erga ſe affectum, mentiuntur affectuum ſimilitudinem, dicente Comico Gnathone: Si, quid ajunt, ajo; negant nego.*

Tum autoritas, ſive à fortunarũ conditione, ſive à naturâ ſenij ratione ea oriatur, multum ad concitandos & rapiendos hominum animos valet.

Quamquam & illud omittendum non eſt, grandem videlicet requiri Oratoris eloquentiam, quæ & continuâ variarum atq; gravium rerum ubertate creſcat, & vocis, laterumq; ſufficienti robore in proferendo ſuſtentetur, ne fulgura ex pelvi vibrare videatur.

*Secundò conſiderandum eſt OBJECTVM, quod movendum eſt, ſed de eo a-*

*ptior*

752607



*ptior inter argumenta Ethica agendi locus.*

*Ergò Tertio ea ſaltem videbimus, quæ circa ipſos AFFECTVS notanda occurrunt.*

Quamvis verò varijs modis commotos affectus legamus, picturis, aliisqve externis, ut veſte Cæſaris, infantium productione, & ſimilibus, tamen cum Dramatica magis, quàm Oratoria ſint, oratione potius, qui modus propius rem accedit, quàm iſtis figmẽtis utendum videtur.

Sed tamen & ipſa oratio ita formari debet, ut proximè rerum picturis conveniat: Hinc initio accuratæ & vivæ rerum deſcriptiones ſeu Hypotypoſes commendantur, quippe quæ calamo idem, quod penicillo pictores præſtant: tum verò cum ingentes affectus ſæpè præ ſtupore ſileant omninò, omni ornatu deſcriptionum poſthabito, ſimplices rerum narrationes ſufficiunt: inſuper vehementes ſententiarum figuræ, ut Apoſtrophæ, Deteſtatio-

nes, Proſopopœiæ, Exclamationes & ſimiles ornatus loco adhibendæ ſunt, & tandem Epiphonemate ſ. communi exclamatione πάθος concludendum.

Quemadmodum ſæpè omnis gratia affectuum perit, ſi res tenuiores nimis exaggerando modus prudentiæ exceditur, aut ea inter amplificandum afferuntur, quæ magis mimum ſcenicum, quàm gravem prudentiâ Oratorem decent: ita idem vitium naturali quidam Oratores culpâ incurrunt, ſi videlicet aut vis animi affectuum ſubli mitate, aut vocis, laterumque robur vehementia affectus exprimenda infirmiora. His itaq; ne talia argumenta tractanda ſuſcipiant, ſuadent prudentes dicendi Magiſtri, cum omnia juxta decori leges & jura ſint componenda: ita tamen ut modus in rebus.

Contingit interdum, ut varij ijq; vehementiores miſceantur affectus, tum probè videndum, quid rerum actionumq; diſſimilitudo poſtulet, ſic enim decorè proferentur ſingula, nec abſq;

752607



absq; admiratione. Inprimis opera danda eſt, ne ſubitò furioſus & demens affectus prorumpat, ſed prævia quadã ex varijs motibus diſpoſitione gradatim & ſenſim concitetur.

Imo & diverſos affectus ut lætitiã & dolorem, benevolentiam & odium ſimul movebis, ſed ita, ut gratiores affectus præmittens, magis reliquos exaggerare queas.

*Sic exaggerando dolori ex jactura rei oborto, delectationem & lætitiam, quam præſens pepererit, præmittes: & ut vehementius adverſus ingratum confles, odium, primum benevolentiam, quâ complexus eum ſit læſus, deſcribes.*

*Et ut eo paratior ſpecialibus affectibus movendis accedat Orator, adhuc aurea illa è Cauſino circa generalia addimus.*

I. Præter ſuas & Auditorum conditiones, Orator aliarum quoq; rerum adjuncta conſiderabit; cum interdum jam præparati ſint affectui, quem velit, Auditores, & tum uti magis fle-

xiles animi, ita faciliùs movetur affectus; interdum contrario affectu præoccupati ſunt, aut longiore adverſantis affectus cõſuetudine obduruerunt, tum antequam movere affectum incipias, informandus & rationibus expugnandus eſt Auditoris animus.

II. Omni quidem affectui recipiendo præparandus eſt Auditoris animus, ſed opera tamen danda, ut occultè id fiat, utq; naturaliter influxiſſe, non per vim videatur intruſus: quò magis enim artificium & labor commoti affectus apparet, eo minus viriũ obtinet; cum affectatus ab Oratore, non ſeriò commotus videatur.

III. Res in commotione affectuum non nimis ſubtiles ſint & acutæ, ne dum inveſtigandis ijs nimis intendit mentem Auditor, remittatur aut minuatur in voluntate commotio.

IV. Vt incenſa & affectu revera agitata mens appareat, confuſiori etiã argumentorum ordini ignoſcitur, & ſapi-

752607



ſapientis erroris extravagatio conceditur.

V. Sententijs præſertim, quaſi aculeis ac ſtimulis, affectus muniantur.

VI. Stylus pro diverſitate affectuum ita formetur, ut mitiores affectus leniori atq; ſuaviori, gravi tamen proponantur ac honeſto, in vehementioribus verò concitatior atque grandior, qui validius percellat animos, adhibeatur.

VII. Ne impotens ſui videatur Orator, ita moveat ſemper affect9, ut ne quid nimis. Id enim ſi negligat, aut mollis in lenioribus, aut ſævus in vehementioribus cenſebitur.

VIII. Si etiam res tanti affectus ſint, ut magnitudine & fidem, & eloquentiam humanam ſuperare videantur, ſilentio magis moventur, quàm verbis, auditores; juxta illud, quod ſuperiùs monuimus, *magni affectus ſtupent, parvi loquuntur.*

IX. Quamvis Principem in Peroratione locum affectus obtineant; tamen id quoq; curandum, ut per omnem orationis curſum ſparſi appareant.

X. Cum non minoris ſit artis movere affectum, quam minuere, aut tollere omnino; ideoq; circa poſterius ſequentia juvabitur Orator:

1. Si demonſtrarit, omnem commotionem affectuum ab adverſario, non seriò & ex animo, ſed juxta artis præcepta, de induſtria, eſſe factam.

2. Si reipſa moventia adverſarij argumenta aggrediens, ea imminuat, atq; expugnet.

3. Si aliò cogitationes auditoris avertat, planeq; contrarium affectum convenientibus modis excitet. Hiſce aut tollet, aut minuet certè priorem, quo occupata mens erat, affectum.

*CAPVT HOC PRIMVM ILLVSTRET EXEMPLVM, VARIAM*

## *VARIORVM AFFECTVVM MIXTVRAM PROPONENS, E SENECÆ MEDEA: Verſic. 891. & ſeqq.*

*EGon' ut recedam? ſi profugiſſem prius,*
*Ad hoc redirem. nuptias ſpecto novas.*
*Quid anime ceſſas? ſequere felicem impetum.*
*Pars ultionis iſta, qua gaudes, quota eſt?*
*Amas adhuc furioſa? Sic ſatis eſt tibi,*
*Cœlebs Jaſon? quære pœnarum genus*
*Haud uſitatum: jamq́; ſic temet para.*
*Fas omne cedat, abeat expulſus pudor:*
*Vindicta levis eſt, quam ferunt parvæ manus.*
*Incumbe in iras, teq́; langventem excita,*
*Penitusq́; veteres, pectore ex imo, impetus*
*Violentius hauri: quidquid admiſſum eſt adhuc,*
*Pietas vocetur, hoc age: & faxo, ſciant*
*Quam levia fuerint, quamq́; vulgaris notæ,*
*Quæ commodavi ſcelera. præluſit dolor*
*Per iſta noſter. quid manus poterăt rudes*
*Aude-*

*Audere magnum? quid puellaris furor?*
*Medea nunc ſum: crevit ingenium malis.*
*Juvat, juvat rapuiſſe fraternum caput,*
*Artus juvat ſecuiſſe, & arcano patrem*
*Spoliaſſe ſacro. juvat in exitium Senis*
*Armaſſe natas. quære materiam dolor,*
*Ad omne facinus non rudem dextram afferens.*
*Quo te igitur ira mittis? aut quæ perfido*
*Intendis hoſti tela? neſcio, quid ferox*
*Decrevit animus intus, & nondum ſibi*
*Audet fateri. ſtulta properavi nimis.*
*Ex pellice utinam liberos hoſtis meus*
*Aliquos haberet! quidquid ex illo tuũ eſt,*
*Creuſa peperit. placuit hoc pœnæ genus,*
*Meritoq; placuit: ultimum magno ſcelus*
*Animo parandum eſt. liberi quondã mei,*
*Vos pro paternis ſceleribus pœnas date.*
*Cor pepulit horror, membra torpeſcunt gelu,*
*Pectusq; tremuit; ira diſceſſit loco,*
*Materq; tota conjuge expulsâ cedit.*
*Egon' ut meorum liberûm, ac prolis meæ*
*Fundam cruorem? melius ah demens furor!*

752607



*Incognitum iſtud facinus, ac dirum nefas*
*A me quoque abſit. quod ſcelus miſeri luent?*
*Scelus eſt Jaſon genitor, & majus ſcelus*
*Medea mater. occidant: non ſunt mei.*
*Pereant: mei ſunt. crimine & culpa caret,*
*Sunt innocentes. fateor: & frater fuit.*
*Quid anime titubas? ora quid lacrymæ rigant?*
*Variamq; nunc huc ira, nunc illuc amor*
*Diducit? anceps æſtus incertam rapit.*
*Vt ſæva rapidi bella cum venti gerunt;*
*Vtriq; fluctus maria diſcordes agunt,*
*Dubiumque pelagus fervet: haud aliter meum*
*Cor fluctuatur; ira pietatem fugat,*
*Iramq; pietas? cede pietati dolor!*
*Huc cara proles, unicum afflictæ domus*
*Solamen, huc vos ferte, & infuſos mihi*
*Conjūgite artus: habeat incolumes pater,*
*Dum & mater habeat. urget exilium, ac fuga.*
*Jamjam meo rapientur avulſi ſinu,*
*Flentes, gementes: oſculis pereant patris;*
*Periere matris rurſus increſcit dolor,*

*Et fervet odium : repetit inviſam manũ*
*Antiqua mentis irá. qua ducis, ſequor.*
*Vtinam ſuperbæ turba Tantalidos meo*
*Exiſſet utero, bisq; ſeptenos parens*
*Nátos tuliſſem! ſterilis in pœnas fui.*
*Fratri, patriq; quod ſat eſt, peperi duos.*
*Quonam iſta tendit turba Furiarum impotens?*
*Quem quærit? aut quo flammeos ictus parat?*
*Aut cui cruentas agmen infernum faces*
*Intentat, ingens angvis excuſſo ſonat*
*Tortus flagello. quem trabe infeſta petit*
*Megæra? cujus umbra diſperſis venit*
*Incerta membris? frater eſt, pœnas petit.*
*Dabimus; ſed omnes fige luminibus faces:*
*Lania, perure, pectus en furijs patet.*
*Diſcedere a me, frater, ultrices Deas,*
*Manesq; ad imos ire ſecuras jube:*
*Mihi me relinque. & utere hac frater manu;*
*Quæ ſtrinxit enſem: victima manes tuos*
*Placamus iſta. quid repens affert ſonus?*
*Parantur arma, meq; in exitium petunt.*
*Excelſa noſtræ tecta conſcendam domus*

752607



*Cæde inchoata. perge tu mecum comes;*
*Tuum quoque ipſe corpus hinc mecum avehe.*
*Nunc hoc age anime: non in occulto tibi eſt*
*Perdēda virtus, approba populo manum.*

## DISPOSITIO I.

### *CONTINENS LAVDEM AFFECTVVM IN GENERE, ADEOQVE, CONTRA STOICOS, PROBANS AFFECTVS ESSE BONOS.*

EXORDII PROPOSITIO *deſumatur à multorum temerarij judicii vituperio*, qui antequam res cognoverunt, eas damnant. RATIO: Nam non ſolū injurij ſæpe ſunt in res, quæ cum laudatiſſimæ ſint, præpoſtero horum judicio fœdantur, inviſæq; redduntur; ſed & alijs hominibus pernicioſi, quos in vitij communionem tractos, ſuo errore corrumpunt. OCCVPATIONIS *loco ſit Amplificatio ab Effectis:*

Non

Non equidem rebꝰ per ſe laude dignis quicquam, horum judiciô, detrahi, quippe quæ eodem non moveantur; ſed ignominiæ maculam in judicibus potius reſidere, dum temeritatis ſuæ ac nimium præcipitis judicij pœnas luunt. CONCLVSIO EXORDII *transferat theſin ad hypotheſin, dicatq;* eam ſortem, cum plurimis alijs, affectus quoque experiri, quos non modò olim Stoici, ſed & noſtro ſeculo plurimi omninò, tanquam bono viro indignos, rejiciunt.

*PROPOSITIO ſit*: Horum errori contradicam, & brevibus affectuum laudem proponam.

*TRACTATIO I. Argumentum deſumat ab* HONESTO *ſive* CAVSA EFFICIENTE, *videlicet DEO*: Ab eo enim inter reliqua admirandæ creationis, affectus quoq; conceſſos. *Amplificetur hoc argumentum per Locum Communem* quod DEVS, uti ſummè bonus eſt, ita non niſi optimarum rerum cauſa exiſtit. Hincq; in DEVM ipſum

pec-

peccare eos *oſtende*, qui vel reprehendere vel vituperare ejus opera audent, quod cùm in Stoicis ſtultum, qui non modo maximum, ſed optimum quoq; ſuum Jovem dicebant; tum in Chriſtianis impium eſt, quibus exactior bonitatis divinæ ratio conſtat. *Alia Amplificatio a comparatione imparium:* Ingenioſisſimi artificis opus ſumma admiratione laudari, imò excuſari ab hominibus, ſi quos in eo deprehendant lapſus: At quæ inſania ejus ſuggillare opus, cujus & potentia omnia, & Sapientia perfectiſſima producit. *Alia Amplificatio, ab inductione ſpecierum nonnullarum, addatur, ita ut jubeatur per Apoſtrophen affectuum vituperator* DEI creata tueri, & ſi quid mali in ipſis deprehendat notare, cumq; nullum defectum in illis inveniat, quâ fronte hoc creatorum genus affectibus præditum contemnat, *quæratur. II. Argumentum ab* VTILI, *hic deſcribas affectus, quod ſint* motus quidam & impetus, quibus impellantur animi noſtri ad fugam

malorum,& proſecutionem bonorum *Amplificetur ſimili Navis:* quæ, uti impulſu ventorum portum obtinet, non ſecus animum affectuum impetu, ſummi boni, quaſi portum ingredi *dicas.* *Alia amplificatio per occupationē*, quod ſæpè affect.bus abripiantur homines, in vitiorum Syrtes. *Reſpondeatur primò per conceſſionem*, verum id; ſed non magis ideò malos affectus eſſe, quàm ventū ipſum, qui ſæpè infeſtus eſt navigiis. *Secundo per remedii oſtenſionem:* Quemadmodum & violentiſſimum procellarum impetum, naucleri ſuſtinet prudentia, ne quid damni inferat navigio; ita etiam rectrix nobis data eſt ſana ratio, cujus ſi dictamen ſequamur, facilè compeſcuntur furibundi affectus, & nos, quod imminere videbatur, periculum evitamus. *III. Argumentum à* NECESSARIO. *Continuetur hæc Allegoria, ita ut dicas:* Quemadmodum navis ſedato mari, ac omnibus ventis poſitis, curſum conficere nequit, ita ſine affectibus ſegniores ſumus,

mus,

752607



mus, ad perſequendum virtutis iter. *Amplificetur*: Et naves nonnihil moveri quaſi, ſub tranquillitatem maris, at quanta cum tarditate? ita ut vix viæ terminum polliceri ſibi queat nauta; ſic quoq; nonnullos videas virtutem ſequi lento paſſu, qui tamen multò fit concitatior, ubi vel amoris, vel æmulationis affectu impellitur. *Adde Exemplum præſertim de æmulatione, cujus beneficio maxima à nonnullis præſtita invenies.*

*CONCLVSIO brevem habeat recapitulationem, cum objurgatione eorũ, qui affectus contemnunt, & ſedulâ ſimul adhortatione* quo affectibus ita utamur, ne rationis imperium excutiant, quod brutorum; ſed eidem promptiſſimè obſequantur.

## DISPOSITIO II.

### PRIORI CONTRARIA, *AFFECTVS MALOS, SICQVE IN VIRVM BONVM CADERE NON DEBERE CONFIRMANS.*

EXORDIVM *ejusq;* PROPOSITIO *reſpiciat thema proximè antecedentis Orationis, videlicet;* omninò præcipitantiam conſiliis nocere, non modò in condemnandis, ſed & laudandis rebus. *RATIO:* Cum namque facilè errare poſſit mens noſtra, hinc fit, ut niſi internam naturam rei probè perſpiciat, externa ſæpè ſpecie decepta, pro optimis peſſima arripiat. *Amplificatio deſumatur ab Exemplis, tum ſimilibus:* Sic cardui amœnitate blandiens flos, externâ ſpecie, pro fragrantiſſimo germine, obijcitur: Sic vitrum variis coloribus tinctum, nobilisſimas gemmas mentitur. Sic orichalci, & auri, non usq; adeo diſſimilis color, ſimilem valorem incautioribus perſuadet; neque aliter vitium ipſum, virtutis ſæpè ſplédore fucatum apparet; *tum contrariis,* Sic ſerpentem venuſtisſimâ pelle tectũ, ſi, quod intus latet, venenum cognoveris, non amabis. *CONCLVSIO EXORDII.* Vtinam hoc modo non dece-

ptus

752607



ptus eſſet, *dicat*, qui tantis laudibus affectus prædicavit.

*PROPOSITIO.* Quod tamen, quàm certò factum ſit, & quam indigna res bono viro, affectibus trahi, paucis te demonſtraturum, ut, externa quaſi pulchritudine affectuum detractâ, pernicioſiſſima eorum, quæ intus latet, natura appareat.

*TRACTATIO habeat I.* Argumentum deſumptum ab *INHONESTO vel INGLORIOSO. Hic affectus deſcribas, ſub Allegoria militiæ, ut dicas*, pernicioſiſſimos hoſtes rationis eſſe, quam, varia arte atque vi, evertere ac opprimere conantur. Hinc continuæ turbæ atque velitationes, quas, niſi deletis his hoſtibus, evitari à ſapiente ſive bono viro non poſſe *oſtendas*. Vnde pateat, quam id turpe ſit, cum tam abjecto hoſte congredi, viro ſapienti. *Amplificetur à contrario*, quod ſapientis animus debeat eſſe tranquillus, *cui exornando, affer Poëtarum fabulam de Parnaſſi vertice omnis tempeſtatis experte*,

*ſere-*

*ſerenitate autem perpetua amœno. Amplificetur ad ſapientis animum*, eumque ſtare non poſſe cum hac importunorum hoſtium violentiâ, *probetur. Alia Amplificatio a ſimili:* Eam virorũ militarium optatiſſimam gloriam eſſe, ſi, quos infeſtiſſimos habeant hoſtes, à ſe excludant, & ſubjugatos procul à ſe exulare jubeant. *Applicetur ita, ut per contrarium dicas, adhibita communicationis figura*, nullam eſſe ſapientiæ laudem absque hoc hoſte devicto, ſubjugato vero eodem, felicitatis demum, & gloriæ exactæ poſſeſſionem ſapientes obtinere. *Addantur pro Concluſione hujus Argumenti Exempla eorum, qui variam laudem, ob varios affectus, vel non plane admiſſos, vel ſtatim repulſos, obtinuerunt, qualia præſertim occurrunt inter Stoicos. II. Argumentum ab INVTILI ſive DAMNO, quod inde patet: quia* affectus nihil aliud ſunt, quàm paſſiones quædam ac morbi animi. *Explicetur hoc per ſimilitudinem morborum corporis*, qui, cum nihil aliud ſint,

quam

752607



quàm deturbationes co porum à ſtatu optimo, maximè fugiuntur. *Hinc dicas* affectibus mentes noſtras à perfectionis ſtatu dejici, & graviſſimis quaſi paſſionibus ſubjici, unde quis tantum malum laudet, viroque ſapienti dignũ dicat? *Amplificatio hoc loco prolixior inſtituatur, per Exempla eorum, qui hanc mentis turpitudinem ſunt experti. V. C. Quos amor voluptatum nimius à fortitudine in mollitiem, iracundia à manſvetudine in crudelitatem, triſtitia à ſapientia in inſaniam dejecit. Concludatur hoc Argumentum per Ironiam, cum Apoſtrophe ad laudatores affectuũ, hoc forte modo:* Atque hæc ſcilicet venuſtisſima res eſt, quam laudibus tantopere ornatis, quod tamen nunquam diceretis, niſi affectibus occœcatus animus verum videre non potuiſſet. Quis enim pro glorioſiſſima victoria ferale bellum, pro incolumitate morbos eligeret; *Amplificetur ab Exemplo Areopagitarum, qui affectuum pernicioſa effecta*

*ſecta videntes, omnem affectuum uſum è ſuis judiciis proſcribebant.*

*CONFVTATIONIS loco ea, quæ de Allegoria navis afferebãtur, convelle, partim in genere, dicendo:* Splendidos fucos coloresq; eſſe, quibus incruſtetur nativa rei fœditas, *addita Amplificatione à ſimili,* ita cadaveroſam faciem, adſcititio colore, mentiri pulchritudinẽ: *partim in ſpecie ea, quæ de affectuum impulſu afferebantur, ad indolis bonitatem referendo; hancq; ſtimulum eſſe, dicendo, quo bonæ mẽtes in virtutis ſtudio pergãt: nec proinde à peſtibus mentium, affectibus, illud expectandum, quod cujuslibet naturæ cõceſſit is, qui, dicente Poëta,*

*De meliore luto præcordia finxit.*

*Tandem PERORATIO ita inſtituatur, ut dirigatur ſermo ad Stoicos, quorum, in ſpernendis affectibus, fortitudinem initio laudet, deinde omnes, ad ſimilem affectuum devincendorum conſtantiam, adhortetur.*

CAPVT

752607



## CAPVT II.

# DE AFFECTV IRAE MOVENDO

Ira definitur Ariſtoteli quidam cum dolore appetitus vindictæ, quam videamur nobis poſſe exſequi, ob non convenientem noſtri, noſtrorumve contemtum.

*In commotione hujus affectus oſtendenda, primo, veſtigiis Ariſtotelis inſiſtẽtes, ea expediemus, quæ in ſingulis affectibus notanda ſuperius diximus: Deinde quædam prudentiæ præcepta, circa eum, notanda ſubjungemus.*

*Sic ergo* I. videndum, QVI FACILE IRASCANTVR. Horum ſex genera recenſet Ariſtoteles 1. qui contemptos ſe, ſuosve, præter meritum vident. 2. qui impediri res ſuas, aut conſilia, quocunque modo ſentiunt. 3. Quibus negatur, quod maximè deſiderant, atq; cupiunt. 4. Qui ſtatum ſuum, quo præſentes utuntur, faſtidiri cernunt.6. Qui præter ſpem mali quid

ab iis, quorum benevolentiam meriti erant, experiuntur. 6. Refert huc Ariſtoteles certas circumſtantias temporum, animique motionum, cum interdum faciliùs, difficiliùs itidem iraſci videamus homines.

II. QVIBVS IRASCI SOLEANT ALII. Huc refert quindecim hominum genera. 1. Scurriles ſubſannatores; 2. Qui nocent, ut dedecore nos afficiant. 3. Qui contemnunt ſtudium noſtrum. 4. Amicos inofficioſos. 5. Qui honorem exhibere intermittunt. 6. Ingratos. 7. Adverſantes noſtris conatibus. 8. Amicos moroſos, aut difficiles in accipiendis precibus noſtris. 9. Malo noſtro gaudentes, aut qui ejus ſenſu non tanguntur. 10. Parum curantes, quomodocunq; nobiſcum verſentur. 11. Qui nos contemnunt, vel apud competitores honorum; vel apud viros magnos, quos admiramur; vel apud clientes; vel apud majores quos timere cogimur; vel apud eos, qui nos timent. 12. Contem-

752607



temptores noſtrorum, quibus defenſionem debemus. 13. Diſſimulatores ac Hypocritas, ſi cum viris gravibus verſentur. 14. Eos, qui cum aliis officioſos ſe præſtent, nos negligunt. 15. Qui per oblivionem benefactorum, incurioſi noſtrum fiunt.

III. CAVSA OB QVAM IRASCAMVR. Ariſtoteli dicitur Contemptus, qui ſive ſimpliciter, verbis factiſve injurioſis, conſtet; ſive addito dolore atque damno augeatur, iram facile movet.

*His verò ut eo felicius utatur Orator, ſequentia haud inconſultum fuerit notaſſe.*

I. Ira omnis, ut eo minus vitii ſecum trahat, potius adverſus vitioſorum crimina; quàm perſonam concitetur.

*Hinc & illud præſertim monent prudentes magiſtri, non minimum in hoc affectu vitium eſſe, ſi in inſaniam exceſſu degenerans, modi omnis obliviſcatur.*

II. Ad iram commovendam propius accedens, ſuperiùs allata probè conſiderabit, num videlicet jam in fermento ſint animi, adeoq; quodammodo ſua ſponte eo inclinēt: quod ſi deprehendat, tum injuriam illatam variis argumentis, partim per comparationem imparium, minorum ſcil. injuriarum graviſſimè vindicatarum, partim per conſequentis gravioris cōtemptus deſcriptionem exaggerabit: tum ſubjectum lædens, quantum poterit, clariſſimâ & interioris & externæ turpitudinis hypotypoſi deſcribet, &, ut indigna nos paſſos conſtet, objecti læſi virtutes cum iſto comparabit. Tādem ſi & eo loco, eo tempore, quo minimè decebat, injuriâ nos affectos demonſtrari poſſit, vehementior impetus erit. In omnibus tamen ita vices ſuas Orator geret, ut animi temperies conſtet, *de quo in generalibus.*

III. In affectu iracundiæ movendo, ea maximè cavebit Orator. 1. Ne magis verboſus, quod Comicorum eſt, quàm

752607



quàm vehemens ſit. 2. ne leviſſimis ad iram commotus, ſed dignum tam vehementi ira objectum elegiſſe videatur. 3. Ne jocos immiſceat ac ridicula. 4. Ne verbis iis utatur, quæ vel antiquitate nimia, aut alio aliquo vitio riſum movere queant.

IV. Alius motus iræ obſervandus apud præfractos, duræque cervicis homines, qui duriori cuneo ſunt urgendi: alius apud generoſas mentes, quæ leni oratione demulcendæ potius, ne irritatæ graviùs, ſæviant magis.

V. De Sarcaſmis, aliisq; Troporum Figurarumq; ornamentis, affectui huic inſervientibus, in Rhetorica ſpeciali egimus: *hæc hoc loco innuiſſe ſufficiat.*

*AFFECTUS HUJUS MOVENDI EXEMPLUM PRIMUM SIT EX ORATIONE AD PISONEM.*

*Diſceſſu tum meo, omnes illi nefarij gladij, de manibus crudeliſſimis exciderunt: cum quidem tu, ô vecors & amens, cum omnes boni abditi incluſiq; mœrerēt,*

*templa gemerent, tecta ipſa urbis lugerēt; complexus es iſtud funeſtum animal ex nefariis ſtupris, ex civili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate, & flagitiorum impunitate concretum, atq; eodem in templo, eodem & loci veſtigio, & temporis arbitrio, non mei ſolum, ſed patriæ funeris abſtuliſti. Quid ergo illorum dierum epulas, quid lætitiam & gratulationem tuam, quid cum tuis ſordidiſſimis gregibus, intemperatisſimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus ſobrium, quis agentem aliquid, quod eſſet libero dignum, quis deniq; in publico vidit? cum collegæ tui domus cantu & cymbalis perſonaret: cumq; ipſe nudus in convivio ſaltaret. in quo ne tum quidem, cum illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem, fortunæ rotam permiſcebat. Hic autem non tam concinnus Helluo, nec tam Muſicus, jacebat in ſuo Græcorum fœtore atq; vino. quod quidem iſtius, in illis Reip. luctibus, quaſi aliquod Lapitharum aut Centaurorum convivium ferebatur: quo*

*nemo*

752607



*nemo poteſt dicere, utrum iſte plus biberit, an vomuerit, an effuderit.*

*ET IN ACTIONE III. VERRINA.*

*Agunt eum præcipitem pœnæ civium Romanorum, quos partim ſecuri percuſſit, partim in vinculis necavit, partim implorantes jura libertatis & civitatis, in crucem ſuſtulit. Rapiunt eum ad ſupplicium Dii patrii: quod iſte unus inventus eſt, qui, è complexu parentum abreptos, filios ad necem duceret: & parentes pretium, pro ſepultura liberum, poſceret. Religiones verò, ceremoniæq; omnium ſacrorum fanorumq; violatæ, ſimulacraq; Deorum, quæ non modo è ſuis templis ablata ſunt, ſed etiam jacent in tenebris, ab iſto retruſa atq; abdita, conſiſtere ejus animum ſine furore atq; amentia non ſinunt. Neq; iſte mihi videtur ſe ad damnationem offerre ſolum, neq; hoc avaritiæ ſupplicio communi, qui tot ſceleribus ſe obſtrinxerit, contentus eſſe: Singularem quandam pœnam iſti us immanis atq; importuna natura d.ſid rat. non id ſolùm*

*quæritur, ut, iſto damnato, bona reſtituantur iis, quibus erepta ſunt: ſed & religiones Deorum immortaliũ expiandæ, & civium Romanorum cruciatus, mulierũque innocentium ſangvis, iſtius ſupplicio luendus eſt. Non enim furem, ſed ereptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumq;: non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem civium, ſociorumq; in veſtrum judicium adduximus: ut ego hunc unum ejusmodi reum, poſt hominum memoriam fuiſſe arbitrer, cui damnari expediat.*

*Huc refer, quæ alia hujus loci Cicero habet, in Orationibus: in* VERREM, *in* VATINIVM, PISONEM, MILONIANA *contra Clodium*, PHILIPPICIS, ET ALIIS.

## DISPOSITIO III.

### *CONTINENS EXEMPLVM I. MOVENDAE IRAE IN DAVIDE ADVERSVS NABALEM:*

Habet Partes IV.

752607



*I.* EXORDIVM, *quod ſit abruptum & turbatum, qualis ſolet eſſe animus iratorum, hoc fortè modo:* Scilicet ita decebat Regem coli, hanc Regi devotionem debebant ſubditi. &c. *Poterit Amplificationis loco exponi ipſum factum Nabalis, qui petito Regis abnuens, contumelioſis eum verbis proſcidit: ſubjungatur interminatio vindictæ, quæ ſimul Concluſionem Exordij &*

*II.* PROPOSITIONEM *contineat per Apoſtrophen ad Nabalem,* nunquam illum impune tantum crimen laturum, ſed juſtam Regis iram brevi experturum, ita ut, approbante omni mundo, dignam pœnam luiſſe Nabal dicatur.

*III.* TRACTATIONEM, *quæ juſtā hanc iram confirmet atq; augeat, ita ut (1.)* ADITVM SIBI FACIAT *per L.C. quo breviter diſſeratur de laude clementiæ in Principe,* cujus ſaluberrimi fructus utut multum Reipubl. proſint, quippe quæ Regum ſubditorumq; animos fortiſſimè devinciat, tamen ſi in

nimiam indulgentiam degenerans, atrocia delicta non puniat, peccandi licentiam inducit, & injuſtitiæ quandam quaſi portam aperit. *Hinc per Apoſtrophen ad Davidem, contrarium hujus animum eſſe dicas*, qui quamvis Regia clementia plurimum connivere, tamen & ſeria vindicta iraſci ſceleribus poſſit, nec, ſi Saulis injuriam manſuetè tolerat, Nabal quoque impune Regem læſerit, quin imò ſentiet & ſummã patientiam ſæpius læſam, furorem fieri, *idq; II. PROBETVR partim ex* EFFECTIS, *partim ex* OBJECTO.

*EFFECTVM PRIMVM eſt CONTEMPTVS Regis, quem ex Nabalis verbis deducas, quibus* nullius frugis, fugitivum, Dominoq; ſuo male fidum ſervum Davidem appellat. *Exaggeretur hoc partim ex comparatione imparium, ut* quod ſervum nominet, quem Regẽ atq; Dominum Deus ipſe conſtituerit; quod ſervum perfidum nominet, qui & DEO & Regi & oppresſis civibus toties fidem probarit; *partim ex deſcriptione eorum, ad quos*

752607



*hæc verba effuderit, qui erant* ſervi Saulis, quos, cum ad obedientiam ultrò præſtandam adhortari deberet, contemptu Domini ab eadem ſeducit. Hinc, quid certius, quàm Regis vilipendium, ubique conſequatur, cùm vel tam viliſſimo capiti cõtemptui haberi Regem populus audiverit, turbatis adeò præſertim regni temporibus. *Amplificetur à gemino L. C. 1. ab ingenio vulgi*, quod mutabile, & cumprimis in rebellionem proclive ſit. *Exornetur à ſimili, deſumpto à fluctibus marinis, qui ſæviſſimo inflati vento, turbari incipiunt. 2. à natura imperiorum*, quæ non facilius collabuntur, quam ſi majeſtas imperantium, quæ fundamentum Regni eſt, per contemptum violetur. *Complexio hujus effecti dicat*, iniquiſſimum fore Regem, ſi ſanctiſſimum Regnum, tam acriter concuti, ſua culpâ patiatur.

SECVNDVM effectum *ſit* DAMNVM, *quod David ex Nabalis hoc delicto ſenſerit. Deſcribatur hic locus, in quo David cum ſuis comitibus eo ipſo tẽ-*

*pore*

*pore hæſerit*, in deſerto *videlicet*, nec parando cibo ſatis apto, hinc facile fame ingruente opprimi potuiſſent, qui fidei Regiæ ſe dederant. *Hic breviter dicatur*, quàm minimè Regem deceat, periculum à ſuis non propellere, modisq; omnibus ſaluti ipſorum non proſpicere. *Poterit id exornari per Apoſtrophē cum interrogatione hoc modo:* Et quo animo tot inſontes miſerrimâ morte cadere videbis? Quæ nominis ſanctitas erit, ubi tot impunitas mortes permiſeris? *Exaggeretur hoc damnum à causa ejusdem*, obſtinata *ſcilicet* Nabalis proterviâ, quæ, cum poſſit, nolit Regem juvare. *Probes id ex ſumma Nabalis opulentia*, quæ tanta fuit, ut ex modico hoc conceſſo victu, nullum damnū fuiſſet paſſus, ideoq; ſordidam ſaltem avaritiam & malitiam eſſe, quæ Nabalem ad hoc ſcelus ſtimulaverit: Imo voluptatē eum hinc capere *dicas*, quod Regi oppoſuerit ſeſe.

*Succedat* TERTIO OBJECTVM *videlicet* NABALIS PERSONA, *qui deſcri-*

752607



*deſcribatur à variis adjunctis ut* quod ſubditus Regis ſit, & ſic colere eum debeat, quod multis beneficiis à Rege affectus ſit, *quæ vide 1. Sam. 26.* Quod etſi inferior & ignobilior Davide ſit, tamen amiciſſimâ ſalutatione & manſvetisſimis verbis compellatus, & Patris nomine à Davide appellatus, quæ tamen omnia eâ proterviâ acceperit, ut in fortuna adversâ Davidem deſtituerit. *Ex hiſce adjunctis ita augeatur ira ut 1. dicas per comparationem:* Si hæc privatus experiretur à privato, non dubitare te futurũ, ut, ſi Regis imploretur gratia, puniatur ea malitia, nunc Rex à ſubdito impunè eam experiatur? 2. iram regiam pluribus ſceleribus excitari, quæ in hoc Nabalis facto concurrant, quorum tamen plurima præteriens, ſolùm ingratitudinem commemora, quæ, cùm pro beneficiis mala rependat, injuſtitiæ quædam ſpecies videtur, ea verò quantopere à Regibus, tanquam peſtis, punienda *ſit, ex Locis communibus demonſtra.*

*IV.PER-*

*IV. PERORATIONEM, quæ ut, Exordium, conciſa ſit, executionem per Apoſtrophen urgeat, hoc modo:* Hæc cogitas Rex, & nondum pœnas luit fœdiſſimus homo, quin ſume vires ira, ac nefarium ſcelus vindica: Accingite gladios milites, & quicquid animam trahit in nefaria domo, perimite, necate, occidite; Ego ipſe tanti ſceleris puniendi Dux vobis ero & Comes.

## DISPOSITIO IV.

### *PROPONENS EXEMPLVM II. MOVENDAE IRAE IN PEDITIBVS ALEXANDRINI EXERCITVS, QUOD IN CONSTITVENDO SVCCESSORE ALEXANDRI, NVLLAS IPSIS CONSILIORVM PARTES RELIQVERINT EQVITES EX Juſt. lib. 13.*

E*XORDIVM prout in priori, affectui iræ reſpondeat, eoq; magis concitatiq ſit, quo ſævius ferocire ſolent militum animi, in-*

752607



*mi, inter arma & ſanguinem verſantes, ſi læſam ſuam æſtimationem viderint. Contineat autem deplorationem quaſi, indignabundam tamen, ſortis ſuæ poſt Alexandri mortem:* reverà jam experiri ſe, quæ antea vivo Alexandro metuiſſent: Procerum ſuperbia pro lubitu res omnes geri, alios, quod ad eminentiã illam non evecti ſint, temerè haberi ac contemni. *Exornetur per Apoſtrophen ad milites, cum Communicatione*, quid videatur, an toleranda ſit ea contumelia, quod quidem nunquam à fortiſſimis Macedonum pectoribus futurum ſperes, ſi qui tamen ſint, qui adeò priſtinæ magnanimitatis obliti, ijs, ſi accuratius rem omnẽ proponendam audire velint, mox aliam redituram mentem.

### *Quæ* PROPOSITIO *ſit.*

*TRACTATIONIS Argumentum I. deſumptum ſit ex* ADJVNCTIS, *quorũ duo potiſſimum recenſeatur: & primùm quidem ſit* CONCOMITANS *& negotium ipſum, in quo poſtpoſiti ſint, quod*

*deſcri-*

*deſcribatur. Vbi initio per remotionem* non leve id eſſe *dicas*, quale quidem inter arma contingere ſolet, ut cum non opus videatur univerſi exercitus convocatione, res exigui præſertim momenti, à potisſimis Procerum decidatur: neq; id ægrè accipi à milite, cum parcere eidem, nec moleſtias prolixâ deliberatione creare velint Proceres; neq; rem ejus feſtinationis, aut ea obſtacula objecta fuiſſe, ut vel longius diſſitus, vel aliis impeditus exercitus convocari non potuiſſet, quod & familiare nonnunquam militiæ eſſe ſolet, ut non tam capienda, quàm rapienda conſilia, temporis necesſitas jubeat, quam nemo præſtare posſit. *Deinde per poſitionem, qualis res fuerit expone*, videlicet maximè ardua, regniq; ipſius concernens fundamentum, quæ cum omnes ex æquo tangat, omnium quoque communi ſuffragio examinari debebat. *Exaggeretur id ipſum partim à neceſſario:* Rex enim, quibus jura & leges daturus eſt, communibus & omnium ſuf-

752607



um ſuffragijs conſtituendus eſt, & confirmandus; adeoq; ſinguli audiendi, ſi quid fortè deſiderari earum virtutum in eo videatur, quibus rectores populorum inſtructos eſſe decet: ſecus ſi fiat, invitis quaſi obtrudi Reges, unde & invita obſequia timenda, à quibus ipſius Reipubl. felicitas parum incrementi ſperare poſſit. *Amplificetur L.C. politico, de Regibus communi ſuffragio eligendis agente: partim ab æquo; quo refer omnium gentium, quibus quidem electio ſolennis eſt, conſuetudinem,* ubi omnes ad electionem convocati, vota ſua conferunt, *additâ confirmatione hujus conſuetudinis: tum*, quod ita obviã eatur Procerum libidini, ne ex ſuo arbitrio per adulationem, absq; publici boni reſpectu, Regem ineptum eligant: *tum*, ut eo ipſo libertas populi oſtendatur, qui non, ut in hæreditariis Regnis, qualemcunq; ſors naſcendi Regẽ dederit, acceptare cogitur, ſed liberam eligendi optimum optionem habet. *Applicetur ad Hypotheſin, exaggerando*

*hunc*

*hunc contemptum, contra non modo æquitatem, ſed ipſa gentium jura pugnantem:* Qui niſi debita vindicta puniatur, actum eſſe de Macedonicâ libertate. *Ita commodè ſubjunge adjunctum* CONSEQVENS, *quod eſt futurum Peditum vilipendium:* Si enim primus hic contemptus impunè ſucceſſerit Equitibus, majora in Pedites audebūt, quos aut timidos, aut ignavos libertatis ſuæ aſſertores putabunt. *Potiſſima hujus Conſequentis amplificatio deſumatur ex L.C.* quo principiis obſtādum dicitur, ne mala viliora etiam neglectim initio habita, grandiorem perniciem indulgendo creent. *II. Arg. ab* OBJECTO, CONTRA QVOD IRA EXCITANDA EST, *quod hoc loco Equites Alexandrini conſtituunt: Hos ergo ita deſcribe, ut ſimul cauſam impulſivam contempti Peditis exprimas:* ſummam *videlicet* arrogantiam & impotentem dominandi libidinem, quâ occœcati, Sceptrum dominiiq; partes ad ſe rapiunt ſoli, cæteros tanquam viliora capita

752607



pita infami obſequio deſtinant. *Exaggeretur I. à primario hujus conſilij ſeu contemptus autore, videlicet Perdicca, cujus ſuperbiam cum ex varijs Curtij locis, tum ex iis Procerum, quæ 10. lib. Curtij poſt Alexandri fata extant, orationibus, deſcribe, ubi tanta ea dicitur, ut intolerabilis etiam videatur. 2. ab antecedentium temporum memoria, ubi* jam ea tempore Alexandri vivi timuiſſe Exercitum *dicas;* fore *videlicet*, ut Perdiccæ ſuperbia, graviſſimas regni viciſſitudines accerſitura eſſet, ſed repreſſam eam Alexandri potentiâ. *Qua occaſione deveniens in laudes Alexandri M. ab æquitate inprimis Imperij deſumptas*, quâ ita ſingulorum curam geſſerit, ne ullius etiam ex Illuſtrisſimis proceribus injuriæ exponerentur. *Poteris affectus movendi cauſa gravi querela deplorare tam optimi Regis mortem*, quo orbati milites, jam videant, quid amiſerint: *ſimulq; invehi in eos*, quibus Alexandri imperiũ grave videbatur. Quod etiamſi fuiſſet, tamen, quia tanti Regis

eſſet,

eſſet, facilius tolerandum, quàm quidem Perdiceæ communis Patriæ civis dominium. *Sed revocetur Oratio, dicatúrq;* non extinguendam iræ vim inutilibus lachrymis, quin reſumendos animos &, ſi quid priſtinæ virtutis ſuperſit, reprimendo Perdiccæ id impendendum. *Amplificationis loco in hoc Argumento adhibeatur L. C. quo dicas:* Etiamſi ſuperba quorundam potentia omnibus ſeſe præferat, non tamen admittendum, ut communia jura atque leges ab eâdem quoq; conculcentur, ſed tum, ut plane intolerabilem, modis omnibus, & quacunque vi in ordinem cogendam, cum ſcilicet non ſingulorum capitum, ſed ſtatus ipſius publici ſalus peti videatur, pro quo quisquis non fortis ſit, ignavus, imo injuſtus videatur. *Inde per correctionem dicendo, nolle hæc ominari de militibus. III. Arg. ſubjũnge A SVBJECTO concitando deſumptum: Vbi Peditum virtutes extolle, quo fine ea ex Curtio huc refer, quæ de Phalange Macedonica, Pediti-*

*ditibus maximè conſtante, & tamen principale belli robur abſolvente, ab eodem traduntur. Adde laudis hujus amplificandæ cauſæ, ipſum Regis affectum, quo Pedites præ Equitibus ſæpè dignatus. Et tandem per communicationem quære,* quàm dignum videatur lectiſſimum hoc militiæ robur ab Equitibus, quos fortiter pugnando ſæpe defenderint, contemni, cum à Rege ipſo maximè fuerint honorati? *Breviſſimæ amplificationis cauſa, poterit ex Scriptoribus rei militaris Politicis, comparatio inſtitui Militum Pedeſtrium & Equeſtrium, ita tamen ut pro Pedite, quod ejus major in militia fortitudo ſit, concludas.*

*PERORATIO abrupta ſit, prout in præcedenti, ita ut dicas,* qui, hiſce rebus ponderatis, juſta adverſus Equites ira non inflãmetur, Macedonico nomine indignũ eſſe; ſed per contrarium plurimorum adhuc fortitudinem animo obverſari dicas, quorũ conſiliis, quicquid adverſus ſuperbiam Perdiccæ & ſociorum decreverint, Ducem ſe ac comi-

Comitem, donec vindicata ſit injuria, præſto futurum.

## CAPVT III.
## DE AFFECTV LENITATIS MOVENDO.

Lenitas, *juxta Ariſtotelem* eſt delinitio, ſedatio & remiſsio iræ.

*Vbi initio iterum videndum I. SVBJECTVM ſeu Ii*, qui lenes ſunt, quorũ Ariſtoteles recenſet ſeptem genera. I. Felices ac lætabundos, ſive id ratione fortunarum fiat, ut divites, quiq; inſigni honore ac laude pollent, ac lætiſsimis rerum omnium ſucceſsibus gaudent; ſive ratione temporis, ut verſantes inter ludos ac riſus, inter feſtorum ſolennitates, aut aliam otij tranquillitatem, ita ut cura ac ſolicitudine non ad moroſitatẽ cogantur. 2. Quorum ira diu inveterata, tempore omnia domante, jam indies minui ac ſedari incipit. 3. Qui vident alios ob eandem, quã ipſi affecti ſunt, injuriam ſupplicia luere, ita enim expletur quaſi animus,

&, ut

752607



&, ut Ariſtoteles ait, in alium conſumitur ira. 4. Qui judicio vicerunt. 5. Qui majus adverſariorum infortunium experiuntur, quàm quod ipſis intulerunt, ita enim divinitus ingruiſſe graviorem vindictam ſtatuunt. 6. Qui conſcientia malefactorum, jure ſibi adverſarium immiſſum putant. 7. Qui nõ ſenſuros iram noſtram adverſarios vident. Hinc enim vana ira fruſtra agitari, inconſultum autumant: *ita mortuis vix quiſquam iraſcitur.*

*II. OBJECTUM* erga quod lenes ſunt alij: quò refert Ariſtoteles. 1. Qui nulla re noſtram iram provocarunt, ſed id aut ſaltem feciſſe videntur, aut ab invitis factum. 2. Qui eodem modo ſecum ipſis agere ſolent, quo ſe læſum putat iratus, nemo enim in ſemetipſum injurius exiſtit. 3 Confeſſos & pœnitentes, quibus pœnæ loco eſſe pœnitentia, indeq; naſcens dolor putatur: uti contra negantes & præfractos ob impudentem arrogantiam magis odimus, 4. Submiſſe pœnam aut caſti-

gatio-

gationem accipientes: eo ipſo enim inferiores ſe læſo teſtantur. 5. Non asſvetos ſcurilibus jocis ſed rebus ſerijs. Hi enim haud putantur alios contemnere, aut leviter habere. 6. Majoribus beneficijs, quam præſens injuria ſit, affectum nobis teſtatos. 7. Culpam per ſubmisſionem deprecantes. 8. Eos qui aut neminem ex omnibus, aut certè è bonis contemnere ſolent. 9. Quos, quia ſuperiores nobis ſunt, timemus & veremur. 10. Irâ in errorē commiſſæ offenſionis perductos. 11. Quos pudet, amici aut Patroni læſi. Addunt 12. alii eos, qui dona offerunt, felicisſima placandi media.

*III. CAVSAS ob quas lenes ſumus:* hanc iracundiæ cauſam contrariam eſſe debere per ſe patet; unde ſi contemptu & injuria provocatur, hic nil tale adeſſe demonſtrabis.

*Secundo* ARTIFICIVM *movendi hujus Affectus Oratoriū, quod attinet,* I. miſcebis omnia hæc inter ſe ita, ut & deſcribas tales eſſe, quibus iraſcitur alius,

752607



lius, quales ad obtinendam lenitatem requiſivimus;& placandum eâ generoſitate mentis, ut facilè iram vincat, aliisq; virtutibus eſſe proponas; & injuriam ipſam, ſi falſa ſit, maximè id confirmes, ſin vera, varijs argumentis imminuas, & ad ea palliamenta confugias, quæ in objecto à nobis tradita ſunt, ut contemptus ſuſpicionem amoliaris.

II. Cum non omnium promiſcuè ea ſit felicitas, ut expugnent animos, fortiſſimũq; hunc affectum infringãt, eos aptiſſimos huic rei dicendi Magiſtri ſtatuunt, qui aut per naturam robore ad nocendum deſtituũtur, ut fœminæ, infantes, ſenes, vel ſpectatiſſimâ virtute nocendi ſuſpicionem evitant, ut homines religioſi, aut aliàs optimæ vitæ atq; famæ.

III. Inprimis opportuna temporis ratio habenda, dum vel primi impetus morâ temporis ſubſederunt, adeoque obtuſa aliquantiſper prior veeh-

mentia, vel novo lætitiæ ſeu publicæ, ſeu privatæ, aliusq; felicitatis objectu à moroſitate animi ſint revocati, quo refer primum ſubjecti requiſitum ſuperius allatum.

IV. Summi ingenij ac magnæ fortunæ res eſt, ita lenitatem movere, ut non modo tollatur ira, ſed & in riſum convertatur, quo in cenſu eſt famoſiſſimus prædo Corocotas, cui iratus Auguſtus, ſeſtertium decies homini, qui vivum eum ſiſteret, pollicebatur: ipſe ultrò Cæſarem adiens, pro miranda feſtivitate, decretum ſibi præmium poſtulat. Quo ipſo Auguſtum placans, & vitam & nummos inaudito clementiæ exemplo obtinuit. Quod tamen prudẽter imitandum, ne nimia jocandi libertate contemnere alterius iram judicemur: hinc non niſi ijs argumentum primario commendatur, qui amabiles ſunt.

V. Tandem ex profanis diviniſq; ſapientiæ præceptis iræ fœditas, humanitatis in errorem proclivitas, varia item

752607



item miſeriæ noſtræ viciſſitudo, & in ſpecie ejus, erga quem lenitas movetur, proponenda, quæ ſi ſingula à generoſis mentibus capiantur, faciles motus ſequi ſolent.

## *AFFECTVS HVJVS MOVENDI EXEMPLVM PRIMVM SIT EX ORATIONE CICERONIS PRO LIGARIO.*

*Cauſas, Cæſar, egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio bonorum tuorum: certè nunquam hoc modo, Ignoſcite Judices, erravit, lapſus eſt, non putavit, ſi unquam poſthac; ad parentẽ ſic agi ſolet: ad Judices, non fecit, non cogitavit, falſi teſtes, fictum crimen. Dic te Cæſar, de facto Ligarij judicem eſſe: quibus in præſidijs fuerit, quære; taceo: ne hæc quidem colligo, quæ fortaſſe valerent etiam apud Judicem. Legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppreſſus, in eo non acerbus. tum etiam fuit totus animo & ſtudio tuus. Ad judicẽ ſic agi ſolet. Sed ego ad parentem loquor,*

Erravi, temerè feci, pœnitet, ad clemen-
tiam tuam confugio, delicti veniam peto,
ut ignoſcas oro, ſi nemo impetravit, arro-
ganter: ſi plurimi, tu idem fer opem, qu
ſpem dediſti. An ſperandi Ligario cauſa
non ſit, cum mihi apud te ſit locus etiam
pro altero deprecandi? Quamquam ne-
que in hac Oratione ſpes eſt poſita cauſa,
nec in eorum ſtudiis, qui à te pro Ligario
petunt, tui neceſſarii. Vidi enim & cogno-
vi, quid maximè ſpectares, cum pro ali-
cujus ſalute multi laborarent. Cauſas a-
pud te rogãtium gratiores eſſe quàm pre-
ces: neq; ſpectare, quam tuus eſſet neceſ-
ſarius is, qui te oraret, ſed quam illius,
pro quo laboraret. Itaque tribuis tu qui-
dem tuis ita multa, ut mihi beatiores ill
eſſe videantur interdum, qui tua liberta
litate fruuntur, quam tu ipſe, q
illis tam multa concedis. Sed video tu
men, apud te cauſas, ut dixi, rogantium
valere plus, quàm preces: ab ijſq; te mo-
veri maximè, quorum juſtiſſimum dolo-
rem videas in petendo.

Se

752607



*Sed vide TOTAM ORATIONEM PRO LIGARIO hoc Argumento occupatam cum aliis, quibus animos conciliare ſtudet, quales ſunt: MILONIANA EX PARTE MILONIS, PRO REGE DEJOTARO &c.*

*Huc refer è CAPITE IV. LIBRI XXXI. JVSTINI Legatos Romanos ad Antiochum miſſos, omni arte Hannibalē delinire conātes: & è PLVTACHI CORIOLANO ORATIONEM VETVRIAE matris ad Coriolanum filium.*

*Inprimis operam da ut applices aurea SENECAE QVAE HABET CAPITE XXX lib. II. De ira:* Puer eſt, ætati donetur: neſcit an peccet. Pater eſt, aut tantum profuit, ut illius jam injuria jus ſit; aut fortaſſis ipſum hoc meritum ejus eſt, quo offendimur. Mulier eſt; errat. Juſſus eſt, neceſſitati quis niſi iniquus ſuccenſet? læſus eſt: non eſt injuria, pati, quod prior feceris. Judex eſt, plus illius credas ſententiæ, quàm tuæ. Rex eſt: ſi nocentem punit, cede juſtitiæ; ſi innocentem, cede fortunæ.

Mutum animal eſt, aut ſimile muto: imitaris illud, ſi iraſceris. Morbus eſt aut calamitas? levius tranſiliet ſuſtinentem. DEVS eſt: tam perdis operam, cum illi iraſceris, quam, cum illum alteri precaris iratum. Bonus vir eſt, qui injuriam fecit: noli credere. Malus: noli mirari: Dabit pœnas alteri, quas debet tibi: & jam ſibi dedit, qui peccavit.

# DISPOSITIO V.

## CONTINENS

## *EXEMPLVM I. LENIENDI IRAM IN DAVIDE SVB PERSONA ABIGAIL.*

EXORDIVM *totum ſit inſinuatorium, conſtans captatione benevolentiæ & attentionis, ita ut dicas:* dubitare te, utrum ſatiùs loqui an tacere: *Et poſterioris quidem approbationem confirma ab exaggeratione delicti, quod commiſſum ſit, cujus tantam magnitudinem confitearis, ut vix admittere defenſionem videatur; prioris tamẽ felicem ſucceſſum*

*tib*

752607



*tibi pollicere à ſumma Davidis clementia, quam uti hoſtibus omnibus, ita quoque Nabali ſit teſtaturus.*

*PROPOSITIO ipſa expreſſius petat,* ut, quæ non tam excuſationis, quam deprecationis cauſa ſit allatura, clementer audiat.

*TRACTATIO harum Orationum, quamvis plura communia habeat, cum deprecatoriis tamen in ſpecie ſequentia notabimus. I Arg. & principale occupatur in deſcriptione OBJECTI, erga quod lenitas movenda eſt. Sicq; ergò hoc loco Nabalem deſcribe à variis adjunctis, ut quod primò ſtultus & inſipiens ſit, deinde nefarius, ſicq; utroq; indignum oſtende tantâ regiâ irâ. Confirmationis loco applica huc L. C.* quod generoſorum impetus dignos ſuâ ira adverſarios quærere ſoleat; Contra ignominiæ loco æſtiment cum abjectis per fortunas, aut infamibus per flagitia, congredi. *Exornare id poteris ſimilibus vel* Leonum, quorum ira generoſa, non in quemvis fertur adverſarium; *vel aliorum è naturalium claſſe, prout id occur-*

*ret in Florilegijs Oratorijs. Vlterioris Amplificationis cauſa tacitæ occupationi reſponde:* Non ea mente dici hæc *ſcilicet*, ut impunita maneant ſcelera, & nō exſtirpentur potiꝰ deſperatæ malitiæ homines, ſed ut conſtet Regum iram eſſe ſaluberrimam, quæ clementiæ moderamine temperetur. *Adeoq; novo L. C. hanc Regum pertracta prudentiam* qua & iraſci celerius, & ſuo tum tempore tum loco ignoſcere quoq; errori ſciāt. *Hinc itaq; tertiæ amplificationis loco, relicto Nabalis objecto, ſemetipſam quidem, quippe cui non minus, ac marito ſuccenſeat Rex, conſideret, eo potiſſimum fine, ut non per malitiam, ſed per errorem peccatum eſſe conſtet, id quod varijs fundamētis ex loco Biblico in tertia diſpoſitione allegato, qui Hiſtoriam hanc deſcribit, confirmare poteris: ut I.* quod abſente Abigaele adeoq; inſciâ id commiſſum ſit, quod tamen, ſi ipſi innotuiſſet, nunquam factum fuiſſet. 2. quod reipſa atq; facto contrarium teſtetur, dum, quantum potuerit, ex omni opū

copia

copia, promp è regiæ voluntati offerat, neque tamen id eo fine, ut donis hiſce regiam clementiam ſe demerituram, quæ longe ſublimior ſit omnibus fortunis, ſtatuat, ſed ut atteſtetur, quã neutiquam devotiſſimam ſubjectionem, mariti errore, ac vitio violari voluerit. 3. *Ipſa Abigaelis verba in ſacris expreſſa recitentur, quibus & elegantisſimâ benedictione fortunas atque res Davidis proſequitur, & atrocisſimis maledictis mariti impietatem deteſtatur. Ex quibus omnibꝰ ſatis illud apparere dicas,* quod neque ex propoſito malitiæ peccatum ſit, & maximè, cum factum infectum reddi nequeat, pœniteat admiſſi peccati: Quæ duo facilima ubiq; impetrandæ veniæ media eſſe *ex loco Communi probes, ita tamen, ut potisſimũ DEI ipſius exemplum urgeas, tanquam in re ſacra, qui nulla aliâ re facilius ad commiſerationem flectitur. Eaq; occaſione devenias ad II. Arg. in quo* SVBJECTVM *leniendum conſidera, quod cum hoc loco David ſit, melioris connexionis*

*loco illud ulterius exaggera, quam* deceat eum DEI exemplo regimen ſuum inſtituere, adeoq; facili etiam veniâ ſubmiſſis atque humilibus peccata ignoſcere. *Amplificationis loco confirma hoc Loco Communi generali, & vulgato, & ſæpe tractato:* Clemẽtia videlicet & manſvetudine DEO ſimilimos fieri Reges; *tum ſpecialiori à conſideratione perſonæ Davidis*, quæ uti ſpeciali DEI vocatione ad ſceptra fuerit evecta; peculiari etiam amore, quem ſatis illa ſingularia promiſſa teſtentur, foveatur: ita nil æquius, quàm ut peculiari etiam ſolertiâ ejus exemplum æmuletur. *Amplificationis loco veniam petat dictorum*, quod non eo fine prolata ſint, ut legem vivendi præſcribat Davidi, cujus regia virtus ſuâ ſponte non modo alijs, ſed & ſibi ipſi exactiſſimam benè vivendi regulam præbeat: Verum ut in memoriam revocet, quæcunque antea laudatiſſimè ex manſvetudinis præcepto egerit. Hinc cum ſemper ſibi conſtet probe confirmata virtus: huc quaſi re-

752607



vocare voluiſſe ijs dictis animum, prima offenſæ cogitatione ereptum. *Iterum ut emollias hæc, aliam Amplif. adde à L.C. gemino, quo partim* fragilitatem & proclivitatem in errorem, in generoſiſſimis quoque, prout ſunt homines, oſtendas: *partim* in eo à plebeiis differre *probes*, quòd faciles motus capientes citiſſimè affectꝰ deponant, nec permittant ijs imperium in rationis divinitatem. *III. Arg. in quo* CAVSAM *conſideres, quæ cum ex primo argumento aliquo modo conſtet, in quo Nabalis ſtoliditatem deſcripſerat, nova exaggeratione hoc loco illud urge,* cum contemptus Regiæ Majeſtatis non tantus occurrere videatur, quantus primâ fronte appareat; quippe niſi eâ ſtoliditate ſtupeat quaſi Nabal, nunquam tale quid admiſiſſet, indeque inſaniæ potius hominis, quam malitiæ tribuendum. *Ex quibus illud inferes,* iræ cauſam ſublatā eſſe, nec proinde iræ ipſi ulterius eſſe indulgendum. *Hæc ut confirmes, offer omnia Regi, tum & devotiſſimā poſthac*

*ſubje-*

*ſubjectionem ſponde*, eaque omnia futura quibus luculenter ſatis appariturum ſit, quam nusquam aut contemnendi aut offendendi Regem animus ipſis futurus ſit.

*Abrumpatur Oratio, cum excuſatione prolixitatis, qua ea coram ſapientiſſimo Rege dixerit, quæ & accuratius ipſe ſciat, & ſummo ſtudio quotidiè agat; quibus erectum animum hac quoque vice veniam ſperare dicat, quæ ſit PERORATIO.*

## DISPOSITIO VI.
### CONTINENS
### *EXEMPLVM MOVENDI AFFECTVM LENITATIS IN PEDITIBVS ALEXANDRI, SVB PERSONA PERDICCAE, EX EODEM, QVEM PAVLO ANTE ALLEGAVIMVS, JVSTINI LOCO.*

E*XORDIVM exprimat dolorem Equitum, quo affecti fuerint, ex quo reſci-*

752607



*reſciverint iram Peditum adverſus ſe concitatam: Qui dolor exaggeretur à circumſtantiâ temporis, quo* per mortem Alexandri ſummoperè turbatum univerſum imperiū *dicatur*, eas verò turbas omnes maximum incrementum capturas, ex diſcordiâ civium inter ſe: cum magnis Imperiis nil magis noceat, quàm inteſtinum disſidium. *Adverſativæ loco* meliora te ſperare *tamen dicas*, fore ſcilicet, ut re omni exactiùs cogitatâ, ſubito remiſſuri ſint iram commilitones. *Concluſio Exordij cum*

*PROPOSITIONE:* Eo fine adeſſe ſe dicat, ut, quam iræ nullus locus ſuperſit, demonſtret.

*TRACTATIO Argumenta ejus rei addat, quorum I. deſumatur à* CAVSA, *ubi iterum illud inprimis ages, ut quod pedites in contemptus & injuriæ loco cenſebāt, contemptum & injuriam nō eſſe probes, ergò* non ea cauſa præteritos pedites in conſtituendo Rege *dices*, quaſi minores eos ſemetipſis haberent equites; ſed quod in tanta rerū omnium per-

um perturbatione maturato op9 eſſet, hincq; non potuerit ordinaria viâ, omnibus ordinibus convocatis, deliberatio inſtitui. *Amplificationis loco adhibe geminum L. Communem I. de neceſſitatis maximâ vi, quæ ita ſapientiſſimos obruit, ut ſæpè conſtituto & recto prudentiæ tramite progredi nequeant, ſed obliquare ſinus extra ordinem agere cogantur. Alter L. Communis, ut tanta neceſſitas hic adfuiſſe videatur, de interregnis eorumq; perniciosiſſimis in Rempublicam effectus diſſerat:* Hinc quam citisſimè providendum, ut novi Magiſtratus conſtitutione, ſi non evitari omnino queant, aſt quàm maturè tollantur *publica damna. Transferantur ad hypotheſin dicendo*: Quæ cum cogitarint Equites, nil animo injurioſo, ſed neceſſitate urgente, ab ipſis factum eſſe. *Alia Amplificatio deſumatur à fiducia illa, quam de peditibus conceperint Equites*, illud certiſſimè rati, nil ſuſpicionis hac quidem in parte apud pedites locum inventurum, cum huc usq; nemo

de dex-

752607



de dexteritate Equitum,ut & fidiſſimo erga pedites affectu dubitaſſe viſus fuerit, unde & hoc loco ſpes ea fuerit,non adverſaturum peditibus equitum conſilium; *Sicq; ad II. Argumentum perge, quod deſumatur ab* OBJECTO, *erga quod lenitas movenda eſt, videlicet ipſis Equitibus, quos deſcribas ex verbis Juſtini:* Non illos Perſas, ſed Macedonas; non hoſtes, ſed cives; pleroſque etiam cognatos, certè commilitones; corundem caſtrorum & periculorum ſocios eſſe. *In hoc argumento uberrimus dicendi campus erit, de bellis inteſtinis eorumq; damnis:* quæ ut cogitantes pedites, non admittant, ſua culpâ tantam peſtem patriæ induci rogentur. *Amplificetur partim â generali bellorum effectu* ſatis ſuperque poſt tot confecta bella, peditibus noto, unde quâ mente eas difficultates illaturi ſint patriæ, quas hoſti antea intulerint, *quærantur, ita ut per diſtributionem variorum objectorum effecta belli recenſeantur: partim à ſpeciali hujus diſſidij conſequente,* inſul-

tatio

tatione hoſtium, quibus voluptas major contingere nequeat, quam ſi mutuis cædibus cadere ſuos paulò ante victores, videant, ſicq; parentaturos ſuo ſangvine interfectorum manibus, quæ quanta Macedonib9 turpitudo futura ſit, pedites pro ſua virtute facilè perſpiciant. *Ita commodè ſubjunges III. Argumen. à* SVBJECTO *movendo deſumptum, quod ita tractabis, ut laudes peditum virtutem, inprimis* amorem erga patriam, quam nunquam animis adeo excidiſſe ſperes, ut ſalutem ejus apparentis hujus offenſæ vindictæ ſtudio poſtponant: *tum etiam* fortitudinem, quam tot hoſtium ſubactione ſatis demonſtrarint, quæ tamen longè ab eis receſſiſſe viſa fuerit, ſi affectibus ſuccumbentes, ab eorum impotentiſſimo iræ furore vincantur. *De utraq; virtute ex locis notisſimis quædam adde, eaq; additâ exaggeratioue applica:* tanto facilius iram mittendam eſſe, quantò clarius ante nil contemptus, ſed errorem in omni hoc facto occurrere fuerit.

erit demonſtratum, & ille ipſe error à conſangvineis & commilitonibus quandoquidem ſit admiſſus, non adeo rigoroſos ejus eſſe debere exſecutores pedites, ſed potius memoriâ priſtinæ felicitatis condonandum, ſolitaq; concordia rem communem utrinq; curandam. *Breviſſimè Locus Communis addatur, quo dicas*, amicorum diſſidia nõ in iras debere abire.

*PERORATIO abrumpet prolixiorem diſcurſum, ob ſummam peditum virtutem, qua* rem ipſam accuratius, quã ſub primi impetus vehementiam, expenſuros, ſicque ad tranquilliora conſilia boni publici cauſa redituros ſperare ſe dicat.

## CAPUT IV.
## De
## AMORE.

Amor Ariſtoteli eſt affectus, quo volumus alicui bona, eademque etiam procurare ſtudemus, ipſius; non noſtri cauſa.

Circa

Circa *SVBJECTVM* hujus affe-ctus amicórum proponit Ariſtoteles conditiones, quippe cum inter duo correlata ſemper verſetur affectus hic, adeoque facilè amare dicit, qui 1. codē ſive lætitiæ, ſive doloris affectu. 2. ijsdem bonis & malis. 3. ijsdem amicis & inimicis utuntur.

*OBJECTI* XXXII. Conditiones recenſet Ariſtoteles, *quas tamen communis interpretum opinio ad XVIII. contraxit.* Amantur enim 1. benefacientes, aut ita facere volentes. 2. Amicorum amici. 3. Virtutum cultores, & quidem quo rariores coluntur virtutes, eò fortiùs firmatur amor. 4. In converſatione faciles, non moroſi, nō litigioſi. 5. Qui laudant bona noſtra, cum ijs ipſi careant. 6. Qui non mente minus, quàm externo corporis habitu munditiem ſectantur. 7. Qui nil exprobrant, ſive id ſit vitium, ſive officium præſtitum. 8. Qui facilè reconciliantur, adeoq; citiſſime injuriarum memoriam deponunt. 9. Qui neque male-

752607



maledici, neque curioſi ſunt vitiorum obſervatores. 10. Qui non adverſantur iratis, aut occupatis circa res ſerias. 11. Qui nos colunt, aut optima de nobis conceperunt. 12. Studiorum ſimilitudine occupati, ſed ut, juxta Ariſtotelem, non incommodent invicem. 13. Quos reveremur, cum apud eos in pretio eſſe ſtudeamus. 14. Cum quibus de honore concertamus, ut æmulationem excitemus. 15. Qui res noſtras promovent. 16. Quorum abſentium quoq; fidem experimur. 17. Homines candidi, fucique expertes. 18. Qui non formidinem aut metum provocant.

*CAVSA* tandem hujus affectus triplex notatur vulgò 1. Beneficium præſtitum. 2. idque ſpontaneum, non multis precibus obtentum. 3. Clam habitum, non multa jactatione oſtentatum.

Deinde circa *VSVM* hujus affectus nota tales hominum conditiones demonſtrandas, quales ad amicitiam amo-

amoremque obtinendum requiri diximus.

2. Opera danda eſt, ut non tam mellitis verborum illecebris, quàm morum ipſorum decoro, vitæ ſanctitate, modeſtiaq; & alijs virtutib9 provocemus amorem: cum verborum iſta lenocinia, neſcio, quid ſuſpectæ affectationis, apud viros graves ſecum trahant.

3. Multum juvabitur Orator, ſi apud Auditores, naturâ benevolos, dicere contigerit: tum enim apertus amor provocandus, apud alios magis inſinuationibus obliquis irrependum.

4. Cùm autem amoris honeſti tantum ratio habeatur ab Oratore, inhoneſtum quoque eximere animis corruptis non minus conatur Orator. Cui rei ſequentia adhibent media. 1. Avertunt aliò mentes hoc faſcino occœcatos, aut omnino ſubtrahunt præſentiam amatorũ, quaſi ipsâ abſentiæ diuturnitate langveſcat deſiderium, quemadmodum præſentia fovebatur.

2. In-

752607



2. Interdum nimis frequens familiaritas obruit quaſi faſtidio amantis animum, juxta illud vileſcit quotidianũ. Hinc & amicitijs honeſtis moderatè uti videas prudentes; ne facilè intepeſcant. 3. Fœditatem rei amatæ proponunt, ut perſpectâ eadem odiſſe incipiant.

*AFFECTVS HVJVS EXEMPLVM VIDE IN CICERONIS ORATIONE* pro MILONE:

*Nolite, ſi in noſtro omnium fletu nullam lacrymam aſpexiſtis Milonis, ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem ac non mutatam videtis, hoc minus ei parcere: atq; haud ſcio, an multo etiam ſit adjuvandus magis. Etenim, ſi in gladiatorijs pugnis, & infimi generis hominum conditione, atq; fortuna timidos & ſupplices, & ut vivere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus: fortes & animoſos, &, ſe acriter ipſi morti offerentes, ſervare cupimus: horumq; nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitãt; quanto hoc magis in fortiſſimis civibꝰ fa-*

*vere debemus? Me quidem, Judices, exanimant & interimunt hæ voces Milonis quas audio aſſidue, & quibus interſum quotidiè: Valeant, inquit, Valeant, cives mei: ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: Stet hæc urbs præclara, mihiq; patria cariſſima, quoquo modo merita de me erit: tranquilla rep. cives mei (quoniam mihi cum illis non licet) ſine me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur: ego cedam atq; abibo. Si mihi Republ. bona frui non licuerit, at carebo mala: & quamprimum tetigero benè moratam & liberam civitatem, in ea conquieſcam. O fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores! O ſpes fallaces! O cogitationes inanes meæ! ſic ego, cum Tribunus pl. republ. oppreſſa, me Senatui dediſſem, quem extinctum acceperam, equitibus Romanis, quorum vires erant debiles, bonis viris, qui omnẽ autoritatem Clodianis armis abjecerant, mihi unquam bonorum præſidium defuturum putarem? Ego cum te (mecum enim ſæpiſſimè loquitur) patriæ reddidiſſem, mihi non futurum in patria putarem*

752607



*rem locum? Vbi nunc Senatus eſt, quem ſecuti ſumus? ubi equites Romani illi, illi inquit, tui? ubi ſtudia municipiorum? ubi Italiæ voces? ubi deniq; tua M. Tulli, quæ plurimis fuit auxilio vox & defenſio? mihi ne ea ſoli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil poteſt opitulari? Nec verò hæc, Judices, ut ego nunc flens, ſed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis.*

Sed videatur eadem ad finem, cũ prolixum ſit omnia exſcribere.

Et VI. PHILIPPICA. *An ego nõ provideam meis civibus, non dies noctesque de veſtra libertate, de Reip. ſalute, cogitem? Quid enim non debeo vobis, Quirites? quem vos à ſe ortum, hominibus nobiliſſimis omnibꝰ honoribus prætuliſtis? an ingratus ſum? quis minus? qui, partis honoribus, eoſdem geſſi in foro labores, quos in petendis. rudis in Repub. quis exercitatior? qui viginti jam annos bella geram cum improbis civibus? Quã obrem, Quirites, conſilio quantum potero, labore plus pene, quam potero, excubabo, vigilaboq; pro vobis. etenim quis eſt*

*eſt civis, præſertim hoc gradu, quo me vos eſſe voluiſtis, tam oblitꝰ beneficij veſtri, tã immemor patriæ, tam inimicus dignitatis ſuæ, quem non excitet, non inflammet tantus veſter iſte conſenſus? Multas magnasq́; habui Conſul conciones, multis interfui: nullam unquam vidi tantam, quanta nunc veſtra eſt*

*Vide hujus generis alia in Ciceronianis*, POST REDITVM AD QVIRITES, PLANCIANA *inprimis* PERORATIONE, *& pluribus alijs, quæ Doctoribus Rhetorices familiares.*

## DISPOSITIO VII.
## CONTINENS
## *EVEMPLVM PRIMVM MOVENDI AMORIS AFFECTVM IN DAVIDE SVB PERSONA JONATHANIS.*

E*XORDIVM breve ſit deſumptum à generali amoris efficacia,* qua ipſius mundi univerſitas contineri *videatur, ſitq́; id PROPOSITIONIS loco.* RATIONIS

752607



NIS *cauſa inſtituatur inductio ſpecierũ, cumque id egregiè fecerit Boëthius lib.2. carm.3. tamen, quia Boëthius longè poſterior hoc tempore vixit, id ita exprimas, ut ſervatas res, mutato genere dicendi poëtico, tuis verbis in proſa proferas: Amplificetur à contrario*, quod abſq; amore omnia collapſura ſint, *prout id idem ibidem demonſtrat; hinc per complexionem comparativam dicas*, amorem eſſe vel vinculum quoddã omnia conſtringens, vel fulcrum quoddã omnia ſuſtinens. *Transferantur hæc ad hypotheſin, &* eodem, cum univerſitate, modo vita hominum ſe habere *dicatur*, quæ abſq; amore vana imo moleſta eſt. *Concluſio Exordij cum*

*PROPOSITIONE ſequatur hoc modo:* Ea hactenus cogitans Jonathanis animus, nec abſque amore vivere, nec niſi amore digniſſimum Davidem amplecti volebat.

*TRACTATIO confirmet hoc thema, adeoq; Davidem dignum amore probet ab ADJUNCTIS & EFFECTIS hoc ordine. PRIMUM PULCHRITUDINEM*

*Davidis propone tũ corporis, quæ expreſsè commendatur in Sacris*; *ſed tamen hanc ita tracta, ut per præteritionẽ quaſi dicas*, non contemnendum eſſe quidẽ bonum, Venuſtatem corporis, ſed cum fragilis ſit & caduca, non poſſe ſolum amoris eſſe fundamentum; *tum animi, quem potiſſimum à ſapientibus, in amore eligendo, conſiderari dicas:* Hi namq; ut in omnibus, ita in hoc quoque non contenti externæ rerũ ſuperficiei contemplatione quæ vulgo ſæpè blandiri ac imponere ſolet, ſed internam ac nativam rerum dignitatem perſpicientes, animum notant, qui ut ipſe æternus eſt; ſic æterna pulchritudine æternos amores innuit. *Declaretur hæc animi pulchritudo per virtutem, quâ continetur, adeoq;* virtus venuſtare animũ *dicatur*, ſine qua & pulcherrima corpora deformitate vitiantur. *Amplificetur hoc membram per deſcriptionem virtutis ſententiosè inſtitutam, additâ exornatione per comparationem diſſimilium, ita ut dicas*, cum in duobus conſi-

ſtat

752607



ſtat corporis pulchritudo, ſingula hæc virtute animo addi. Nam juſtam mēbrorum proportionem & concinnitatem, primum corporis pulchri fundamentum putant, eodem modo virtutis beneficio, animos intra rectitudinem, & concinnam actionum aptitudinem, ne vel exceſſus vel defectus, aliæve exorbitationes occurrant, ſervari *dicas.* Deinde quod ſecundum pulchritudinis membrum ſtatuitur, color, in animo etiam per virtutem apparere *dicatur:* ita namque integritatis candor, ita pudoris rubor animum, omni oris pulchritudine, venuſtiorem præſtant: *applicentur hæc per Apoſtrophen ad Davidem, cui omnia hæc ineſſe dicas,* indeque factum, ut & DEO, & Regi Sauli gratiſſimus fuerit. *Vtriusq; gratiam è ſacris oſtende,* nam & à DEO præ reliquis fratribus regno deſtinatus, & Regi adeò charus fuit, ut ad patrios lares remittere eum noluerit. *Amplificetur ab alio adjuncto Davidis, videlicet à Muſicæ artis peritia, qua citharam impellens*

*Saulis animum ſibi devinxerit. Tractetur id allegoricè per ſvaviſſimum virtutũ concentum, qui omnium animos ad amorem rapit, & hinc per complexionem* non mirum eſſe *dicas*, ſi Jonathanis animus amore ejus fuerit inflammatus. SECUNDO *SIMILITUDO UTRIUSQUE proponatur. Hic per occupationem dicas*, quamvis David vilibus, Jonathan vero regijs parentibꝰ ortus ſit, tamen cum fortunæ res ſit, non poſſe eam impedire amorem in ſimilimis animis. *Hic jam ſimilitudo illa explicetur cum generaliter ratione ſtudij virtutum, quod in utroq; par eſſe breviter oſtẽde, inq; eum finem, per diſtributionem aliquot virtutes recenſe in utroq; elucentes;* ĩdem DEI cultus, obedientia erga Parentes, manſvetudo erga inferiores; *tũ ſpecialiter, ratione ſtudij rerum militarium, cui itidem utrumq; deditũ maximè proba. Exornetur hoc membrum per ſimilia, quibus conſtet*, ſimiles gaudere ſimilibus: *deſumere ea potes ex univerſa natura, in qua ſimilia ſimilibus ſociari;*

diſſi-

*diſſimilitudine ſeparari videmus. Amplificetur per L.C. Ethicum,* quo ſimilitudo hæc morum ad amicitias contrahendas maximè valere dicitur, inde enim idem velle, idem nolle, quæ firmiſſima eſt amicitia, promanat. *Addantur per contrarium*, diſſimilia ingenia per amorem nunquam coaleſcere. *TERTIO RECIPROCVS DAVIDIS AMOR erga Jonathanem deſcribatur, cujus ſigna aliquot fingantur, ut* quod frequenter cum Jonathane verſetur, quod officioſus erga ipſum ſemper ſit, quod proſperitatis Jonathanis ſit curioſus, quæ omnia veri amoris ſigna eſſe, *dicas*, adeoque non poſſe, niſi ſummo cum vitio, absq; mutuo amore accipi. *Exornationis cauſa inſtituatur Apoſtrophe ad Davidem, qua dicatur,* non adeo incultum eſſe Jonathanis animum, ut neſciat amorem amore rependere.

*PERORATIO conſiſtat in hoc Jonathanis animo deſcribendo : Hinc ſolemniori aliquo modo Davidi, amoris fidem promittat.*

# DISPOSITIO VIII.

## CONTINENS

*SECVNDVM EXEMPLVM MOVENDI AFFECTVM AMORIS IN EVANDRO, ERGA AENEAM ADVENAM, EX lib. 8. AENEID. VIRG. SVB PERSONA CVJVSDAM E PROCERIBVS AENEAE.*

E*XORDIVM deſumatur, transferendo generalem prioris exordij locum, de utilitate & neceſſitate amoris, ad ſpecialiorem circumſtantiam, itâ ut* cùm omnibus, tùm peregrinis inprimis neceſſarium eſſe patronorum amorem dicas. *Addatur ratio ab adjunctis peregrinorum,* quod rerum ignari, in terra ignota verſantes, juvare ſemetipſos nequeant, quin frequenter injuriis indigenarum exponantur, cum ut ignoti ſæpe vilius, quam decebat, habeantur. *Adverſativæ loco per Hypotheſin AEneæ applices,* quod, *videlicet,* is omnia hæc cogitans non veritꝰ fuerit ultrò Evan-

dri

dri Regis amoré ambire, quamvis nec potentiam ejus ſummam, nec eam regni ſui conditionem ignorarit, quæ, cum graviſſimis motibus turbetur, facile omnium ſuſpectam fidem habere queat.

*PROPOSITIO cum concluſione Exordij:* Ergo nil magis optare, quàm ut ſperata amicitiâ potiatur, dignusq; regio amore videatur.

*TRACTATIO* TRIPLEX ARGVMENTVM *adhibeat*, ita ut *PRIMO SVBJECTI ET OBJECTI* (*quippe utriusq; in hoc affectu tam arctisſima, per relationem, conjunctio eſt, ut ſeparari difficulter queat*) *deſcribas* ADJVNCTA, *idq; eo ſcopo potisſimum, ut ſimilia ea oſtendas: Duo itaque potisſimum, ex hoc Argumento ſimilitudinis fundamenta deſumes. I. reſpectu originis, ubi arctisſimã ſangvinis neceſſitudinem, ex Virgilio confirmaturus,* eosdem gentis utriusq; autores *recenſe, quod ubi exactius deſcripſeris, Locum Communem de amicitia, ex hoc naturali fonte promanante, tracta*,

*ita ut à minore ad majus procedas, dicendo:* tantam ejus rei vim in natura eluceſcere, ut & bruta & ſenſu omni deſtituta tantò conjunctius ſibi adhæreant, quanto majori naturæ convenientiâ gaudeant: longè ergo majorem in hominibus amores & conciliandi, & colendi cauſam eſſe debere, dũ eodẽ ſanguine, eodemque ſpiritu quaſi ad invicem uniantur. *Applicentur per hypothesin, & 2. ſimilitudinis hujus primæ fundamentum, ratione fortunarum ſubjunge, quæ quam utriq; ſat graves incumbant, ex utriusq; ſtatu recenſe, ſic, ut dicas,* quemadmodum tu cum dolore & perceperis antea, & præſens ipſe videas, durã Evandri ob hoſtiles motus ſortem, ita non dubitare te, quin notiſſima ſint Evandro triſtia AEneæ fata, quibus & inter patria bella, patriæq; ipſius ruinam, & difficilimos viarum errores preſſus ipſe ſit, *quæ breviter ex antecedentibus Virgilij libris refer. Hinc ad Amplificandum hoc membrum progredere, eoque fine Locum Communẽ*

*tracta,*

752607



*tracta,* quantopere mutuâ converſatione atq; familiari amore delectentur, qui fortunæ eaſdem experiuntur vices. *Illuſtrabis hoc à Contrario*, quam difficulter felices cum infelicibus verſentur, quod diſſimilitudo nimis moleſta utrique exiſtat, dum & infeliciũ queſtus felices & felicium faſtidium felices ægrè ferant. *Iterum à minori ad majus exaggeretur.* Si in omnibus id occurrat, multo magis in ſanguine junctis; adeoq; *vel hinc per hypotheſin dicas facilè Evandri amorem obtenturũ ſe AEneam ſperare.* SECVNDVM ARGVMENTVM AB EFFECTIS *utriusq;, quorum iterum ſimilitudinem oſtende, partim in genere ratione ſummi ſtudij, quo virtutem uterq; colat: id poſtquam de utroq; probaveris Locum communem tracta, de* virtute feliciſſima amicitiarum Matre, *qui ut amœnius tractetur, per contrarium* vana ea media, quibus profanæ mentes amores conciliare ſolent *exagita, è quibus* præter faſcina alia innumera, Plinii herbam,

Hecatoncephalon *in medium affer*, cujus potentiſſimam vim amores gignédi ipſe putet; aſt id quoque vanum eſſe *dicas*, contra floridisſimum virtutis id eſſe effectum. *Reductis his more ſolito ad hypotheſin: ſimilitudo è ſpecialibꝰ effectis probetur quorum duo potisſimum profer.* 1. Studium rei militaris, *quod in utroq; à rebus geſtis confirma, & deinde breviter Locum Communem tracta*, *cur* facilior eorum amor ſit, quorum ſimilia ſtudia: videlicet ob eandem ingeniorū inclinationem quâ uti res eaſdem dignas ſtudio putant, ita & mutuo affectu animi ſeſe proſequuntur. 2. Pietas erga Deos *quam in Evandro à repræſenti confirma*, dum inter ſacra, à quibus non revocatus fuerit tumultu bellico, eum offenderint. *De Ænea verò vel exinde proba*, quod relictis omnibꝰ DEOS tantum patrios, ut ex incendio Trojano liberaret, curarit. *Amplif. 1. à laude hujus erga Deos virtutis ab æquitate & neceſſitate. 2. Præſenti ſcopo ut applices, facilem piorum inter*

*ſeſe*

752607



*ſtſe amorem exinde confirma*, quod uti ſanctisſimis ſtudiis dediti ſint, nefas ducant pietatis reliquarumque virtutum ſanctitatem in aliis non amare, atq; hinc facilis illa animorum coalitio. TERTIVM ARGVM. A CAVSA IMPVLSIVA, *quâ offeras AEneæ in juvando Evandro promptitudinem*, quê ſimul ac hoſtilib9 armis petitum, expertus fuerit, auxiliaribus eidem copiis ſubveniendum, armaque ſua ipſi9 ſocianda ſtatuerit AEneas: *addatur hujus rei ratio*, non quod impotentiorem hoſte Evandrum putarit, ſed quod pro communione ſanguinis, communionem quoque affectuum ſenſerit, idque eo magis, quo communem & Evandri & ſuum hoſtem (neque enim minora ab eo paſſus AEneas *dicatur)* ſuppresſum iri viderit. *Amplificetur hoc membrum duplici L. C. per præteritionem, ita ut 1. dicas* & ſpontanea auxilia, & 2. opportuna, neceſſitatisque tempore oblata gratiſſima eſſe, ſed quo minus hæc fuſius explices, obſtare tum AEneæ

mode-

modeſtiam, quâ nolit ebuccinator eſſe propriarum laudum, ne ſuo magis merito, quàm manſvetudini Evandri amicitiam ſperatam adſcribat; tum Prudentiam Evandri, qua ipſe ea omnia ſufficientisſimè dijudicare queat.

*PERORATIO* id ergo potius te orare *dicat*, ut & grata habeat, quæ propoſuerit, & optato amore dignaturum ſeſe AEneam oſtendat.

# CAPVT V.

## De ODIO

Odium contrarius amori eſt affectus, adeoque mala alicui ipſius gratia non volens tantum, ſed & inferre reipſa conans

*Hic affectus cum partim ex contraria amoris ratione, partim ex ira, cum quâ maximâ cognatione cohæret, moveri facilè diſcatur, pecculiari tractatione ab Ariſtotele non proponitur: ſed ſaltem quot modis ab ira ſimplici differat, indicatur*

752607



*catur, quos tamen, quia parum operam Oratoriam juvant, hoc loco non recenſemus, ſed ex Ariſtotele peti volumus.*

Ergo ejus movendi ratio vel ex contrariis amicorum, vel iratorum, cum ira principale fundamentum ſit, requiſitis petitur : niſi quod ratione ſubjecti in odium proclivis, præter reliquos in prioribus affectibus deſcriptos, ij adhuc odio maximè ſint obnoxij, qui meticuloſi ſunt, cum vel per ſuſpicionem temerariam, vel culpæ antecedentis conſcientiam, mala metuentes, odiſſe eos, à quibus iſta metuunt, ſoleant: ut & qui ignavi ſunt, hi namque ſimiliter, quo minus pericula avertere queunt, eo magis oderunt, qui nocere poſſunt.

Artificium omne cum ira commune habet. Oſtendendum verò rem odio dignam, ab indigno admiſſam, & indignam ob cauſam.

Remiſſionem odii verò itidem obtinebis ut delinitionem iræ, hic ſaltem commo-

commodam dictorum, quibus odium eſt concitatum, addunt interpretationem.

*AFFECTUS HUJUS EXEMPLUM VIDEATUR CICERONIS IV. PHILIPPICA.*

*Non eſt, non eſt vobis, Quirites, cū eo hoſte certamen, quo cum aliqua pacis conditio eſſe poſſit: neq; enim ille ſervitutem veſtram, ut antea, ſed jam iratus ſanguinem concupiſcit. nullus ei ludus videtur eſſe jucundior, quam cruor, quàm cædes, quam ante oculos trucidatio civium. Non eſt vobis res, Quirites, cum ſcelerato homine atq; nefario, ſed cum immani tetraq; bellua, quæ, quoniam in foveam incidit, obruatur, ſi enim illinc emerſerit, nullius ſupplicii crudelitas erit recuſanda.*

Et de Haruſpicum reſponſis.

*Etenim ſi unum hominem deterrimum, poëta præſtāti aliquis ingenio fictis, conquiſitisq; vitiis deformatum vellet inducere, nullum profecto dedecus reperire poſſet, quod in hoc non ineſſet: multaq; in eo penitꝰ defixa atq; hærentia præteriret.*

752607



*Parentibus & Dijs immortalibus, & patriæ nos primum natura conciliat. eodem enim tempore & ſuſcipimur in lucem, & hoc cœleſti ſpiritu augemur, & certam in ſedem civitatis, ac libertatis adſcribimur. Iſte parentum nomen, ſacra, memoriam, gentem, Fontejano nomine obruit: Deorum ignes, ſolemnes menſas, abditos ac penetrales focos, occulta & maribus non inviſa ſolum, ſed etiam inaudita ſacra, inexpiabili ſcelere pervertit: idemque earum templum inflammavit Dearum, quarum ope etiam alijs incendijs ſubvenitur. Quid de patria loquar? qui primũ eum civem vi, ferro, periculis, urbe, omnibus patriæ præſidijs depulit, quem vos patriæ conſervatorem eſſe ſæpiſſimè judicaveratis: deinde everſo Senatu, ut ego ſemper dixi, comite, duce, ut ille dicebat, Senatum ipſum, principem ſalutis, mentisq; publicæ, vi, cæde, incendiisq; pervertit: Suſtulit duas leges, AEliam & Fuſiam, maximè Reip. ſalutares. Cenſuram extinxit: interceſſionem removit: auſpicia delevit: Conſules ſceleris ſui ſoci-*

*os ara,*

*os ærario, provinciis, exercitu armavit? reges qui erant, vendidit, qui non erant, appellavit. Cn. Pompejum vi, ferro, domum compulit: Imperatorum monimenta evertit: Inimicorum domos diſturbavit: veſtris monumentis nomen ſuum inſcripſit. Infinita ſunt ſcelera, quæ ab illo in patriam ſunt edita. quid, quæ in ſingulos cives, quos necavit? ſocios, quos diripuit? Imperatores, quos prodidit? Exercitus, quos tentavit? quid vero ea, quanta ſunt, quæ in ſeipſum ſcelera, quæ in ſuos edidit? quis minus unquam pepercit hoſtium caſtris, quàm ille omnibus corporis ſui partibus? quæ navis unquam in flumine publico tam vulgata omnibus, quam iſtius ætas fuit? quis unquam nepos tam libere eſt cum ſcortis, quàm hic cum ſororibus, volutatus? quam deniq; tam immanem Charibdim, Poëtæ fingẽdo exprimere potuerunt, quæ tantas exhaurire gurgites poſſet, quantas iſte Byzantiorum Brogitarorumq; prædas exſorbuit? aut tam eminentibus canibus Scyllam, tamq; jejunis,*

752607



*nis, quam quibus iſtum videtis, Gellijs, Clodijs, Titijs roſtra ipſa mandentem.*

Sed mutuas operas Iræ & Odij affectus ſibi præſtant, ideoque facile exempla reciproce illuſtrantia occurrent.

## DISPOSITIO IX.
### CONTINENS

### *EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM ODII CONTRA JVDAM PRODITOREM.*

*EXORDIVM id inprimis intendat, ut malitiæ ſuſpicionem declinet Orator*, dum non temerè quoſcunque in odiũ vocare velit, ſed promeritos, *idque hoc loco potisſimum deducat à pietate & prudentia Auditorum*, qui ſua ſponte æquitatem ejꝰ rei videant, cum pro pietate ſua malos ipſi odio proſequantur; pro prudentia autem ſua quàm id æquum & ſalutare ſit, facilè perſpiciant. *Concluſio Exordij cum*

*PRO-*

*PROPOSITIONE.* Hinc odio omnium digniſſimum Judam à te productum, odioque omnium expoſitum iri, quem qui nō oderit, odio æternum ipſe dignus ſit.

*TRACTATIO tribus pro more membris conſtet. In PRIMO conſideres,* QVID DESIGNARIT Judas; *ubi proditionē Chriſti in genere initio propone, poſt varijs modis exaggera, conſiderando partim ſubjectum, erga quod peccaverit; ubi Chriſtum deſcribe à variis adjunctis & effectis utriusq; naturæ, ijs præſertim, quæ ſtudium ſervandorum hominum concernunt: Vbi varia occurrent* de ſummo ejꝰ amore, indefeſſo ſtudio, quo cùm omnium, tum Judæ etiam bono operatus ſit: *partim objectum, quibus prodiderit, ubi* Judæos acerrimos Chriſti hoſtes *deſcribe,* quorum frequētiſſima conſilia de Chriſto abolendo *recenſe: ita ut addas cauſas impulſivas, videlicet, ſummum adverſus Salvatorem Odium, & eventus ſemper ante Judæ proditionem vanos: partim finem, quare* pro-

752607



*prodiderit, ut morte tolleretur. Hinc ſuccedat exaggeratio converſa Oratione ad Judam, quem ubi graviter objurgaveris, adde geminum exaggerationis fundamentum; alterum à Loco Communi, quo generaliter fœditatem proditorũ deſcribas,* adeoque perfidiæ ſummi ſceleris ſpeciem eſſe proditionem, *quod illuſtrabis à conſequenti, odio videlicet, quo proditores proſecuti ſunt boni quiq;, prout ex Exemplis, quorum aliquot adduces, patebit. Hoc turpiſſimum vitium cum de Juda conſtet, quo odio ipſe dignꝰ ſit, ſimul conſtare dicas, addito altero exaggerationis fundamẽto, à comparatione hujus proditionis, nõ modo cum alijs proditorum ſceleribus, ſed & cum turpiſſimis quorumcunq; facinoribus:* Vbi illos leviꝰ peccaſſe *probes;* qui res caducas hoſtibus prodiderunt, hic verò DEVM ipſum exitio deſtinarit. In horum verò claſſe paricidas, fratricidas, horrendorum ſcelerum reos occurrere *dicas,* ſed cum ea omnia ſimul & ſemel deſignarit hac proditione Judas, dum & com-

communem Patrem, & Fratrem noſtri generis morti addixerit, Deicidã quoque eſſe. *Hic vehementioris affectus cauſa deteſtatio ſubjiciatur, quà cœlum & terram averſari hominis ſcelus dicas, indeq; Apoſtrophe ad Auditores inſtituta, fortius etiam odium adverſus Judam moveat. Sicq; ſuccedet SECVNDVM MEMBRVM, in quo conſidera*, QVIS FVERIT JVDAS; *quod iterum fiet partim generatim, dum* Apoſtolorum cœtui junctum, ſacratisſimis Chriſti concionibus longè meliora doctum *dices. Hic poſtquam generalia cœleſtis ſapientiæ capita (ut* quod probè ſciverit Chriſti divinam innocentiam, ſanctitatem, item intentionem redimendi generis humani, nec proinde ullo ignorantiæ palliamento ſcelus hoc ſuum excuſare poſſit) *nota Judæ propoſueris, exornationis cauſa ſpecialia quædam Chriſti præcepta, facta, per oppoſitionem Contrariorum, ad ſcelus hoc applicatione, ſubjunge hoc forte modo:* Verba Chriſti toties puriſſimum amorem prædicantis au-

752607



tis audiverat, ille interim totus odio ardebat; toties de fide ſanctisſimè colenda audiverat, ille perfidus ſimulator oſculo hoſtile pectus tegit; toties erga hoſtes benevolentiam commendatam audiverat, ille amicisſimo malevolum animum declarat. *Poterunt hæc Ironica etiam ad Judam apoſtrophe cum interrogatione proferri.* Partim *ſpeciatim*, dum ſpeciali nomine amici cũ antea, tum ipſo proditionis tempore eum dignatus fuerit Servator. *Hic per admirationem obſtupeas quaſi*, dum tantam Judæ malignitatem deprehendis, ut perfidisſimus omnium mortalium videatur; *iterumq́; graviori invectiva ipſum proſequens, ex utroq; deſcriptionis membro, quàm ſcelerate egerit, confirma, eaq; occaſione paucis in commune perfidiæ temeritatisq́; vituperium deſcende, breviterq́; noxijs ejus effectis demonſtratis, abrumpe illud; aliudq́; exaggerationis medium per comparationem Diverſorum Subjectorum ſubiice, quod videl.* tale ſcelus nec inter Barbaros, & maximè effe-

efferatos populos contigerit, qui, ut ut immaniſſimi ſint, tamen Deos ſuos, vanos licet, violaſſe nunquam leguntur. *Applicetur id huic ſubjecto Judæ, indeq; tantò graviori odio dignum proba, quantò majus inter ipſos & illum diſcrimen occurrat.* IN TERTIO MEMBRO CAVSAM *proditionis examina, quæ cum nulla alia ſit, quàm lucri ſtudiũ ſive avaritia, tu eam ita tractabis, ut* 1. *per dubitationem falſas cauſas ponas,* quod fortè læſus à Chriſto, vel inopiâ rerum adactus. &c. facinus hoc patrarit; *ſed reſponſione ad ſingula ſubjecta, oſtendes, quod* neq; prius, ob amantiſſimum Chriſti pectus, ſummãque innocentiam; neq; poſterius fuerit, ob immenſos illos divinitatis theſauros, quibus omnibus affatim ſuppetebat, quæ requirebant. *Ergo* 2. *veram cauſam ponas, dictam videlicet avaritiam*, qua argenteorum amore ductus, Deum ipſum vendidit. *Pro exaggerando hoc, iterum initio per comparationem Diſſimilium oſtende, quàm iniquus fuerit Judas,* dum

752607


dum vaniſſimâ pecuniolâ, dum exigua pecuniolâ omniũ Theſaurorum abyſſum &c. vendiderit. *Deinde Locum Communem ſubjunge, quo vituperes avaritiam, qui uti notiſſimus eſt, ita breviſſimè tractandus, & tandem applicatio ad Judam inſtituenda, qua increpetur ejus levitas, hincq; novâ Apoſtrophe ad odium contra Judam inflammandi Auditores, quæ ad*

*PERORATIONEM usq; continuetur, in qua illud ultimo loco adde,* ut cũ tantopere odio dignum Judam, prout putes, videant omnes, odio quoque proſequantur vitia ejus, quibus abreptus Judas, hoc omnis mundi odium ſit promeritus.

## DISPOSITIO X.
### CONTINENS
### *EXEMPLVM SECVNDVM MOVENDI ODII AFFECTVM IN NERONE MATRICIDA.*

*EXOR-*

*EXORDIVM comparativum ſit à collatione monſtroſorum corporum cum vitioſis mentibus*, in quibus utriſque cum maxima aberratio à legitima conſtitutione occurrat, utrobiq; etiam par hominum odium occurrere dicas. *Rationis loco Amplificatio addatur à Minori ad Majus:* Tanto magis vitioſarum mentium tamen odium eſſe, quãtò partim fœdiores ſunt corporum monſtris, partim ſuâ culpâ magis hæ tales exiſtunt, cum corporum monſtra naturæ errorem præſtare non posſint. *Concluſio Exordij cum*

*PROPOSITIONE :* Tale monſtrũ cum Nero fuerit, qui & eò ſceleris prolapſus, ut matrem turpisſimo modo occiderit, facilè, dum odio eum dignum eſſe, probaturus ſis, conſenſuros Auditores.

*TRACTATIO I. conſideret* FACINVS *Neronis, videlicet cædem Matris. Quam exaggerabis, partim ex varijs aliis ejusdem facinoribus, quæ pasſim occurrent apud eos, qui Neronis Hiſtoriam ſcripſerunt,*

752607



*pſerunt, ita ut omnium tamen atrociſſimum hoc præſens oſtendas; partim per deſcriptionem ipſius facti, dum non ſimplici matris cæde, ſed etiam turpiſſimo perpetratæ ejus modo infamis ſit. Hic inprimis per contrarium ſummam illam inter matrem & prolem neceſſitudinem urge, tum devinctiſſimam prolis erga matrem, ob varia beneficia, reverentiam & pietatem, quæ & ex legibus, & ex natura ipſa ſatis conſtet, quibus omnibus ſpretis horrendum facinus admittere non dubitarit. Exornationis cauſa comparationem imparium inſtitue, quod* vitam eripuerit Nero ei, à qua vitam habuerit, quod ejus ſangvinem fuderit, cujus ſangvine in lac converſo paſtus fuerit. *Vehementioris affectus cauſa, mirare tantam in hominem cadere malitiam, cujus Exemplum vix in feris reperias, eaq́; occaſione novam comparationem inſtitue, recenſendo crudeliſſimas feras,* quæ ut ut maximè ſæviant, vix tamen in ſuum genus, nedum parentes, crudeles deprehendantur, *applicatione*

*tione facta ad Neronem, dicatur per communicationem.* Quis dignum humano amore putet, qui hominem ipſum exuiſſe videtur? Quis non cane, angve & quavis beſtia pejus averſetur, qui infra feras vitijs ſuis ſe abjecerit, imo exterminandum è hominum cõſortio proſcribendumq; ad feras *In II. MEMBRO conſideretur ipſe NERO: Vbi ut eo graviùs peccaſſe pateat, laudetur partim ejus indoles, quam* ſatis bonam & rectá, tum ex Hiſtorijs, tum ex decantatiſſimo illo quinquennio fuiſſe, *apparet; partim laudatisſima informatio, quâ à Seneca imprimis educatus fuit, cujus ſapientiam obiter laudare potes, ac proinde ſaluberrima hinc promanaſſe monita, dices. Quibus ſubjunge exaggerationem ſceleris hoc modo:* Quod non per errorem aut ignorantiam facinus commiſerit, ſed ex crudelisſima proæreſi, quá neque naturalis inſtinctus, neque ſaluberrima præceptorum recordatio, tollere potuerunt. *Finge Exornationis cauſa tacitas conſcientiæ dehortationes, qui*

752607



*quibus bonæ indolis igniculi avocare à ſceleſtisſimo propoſito ſint conati, ſed nil adverſus conſtantisſimam ſceleſti crudedelitatem profecerint. Amplificationis cauſa L. Com: addatur: quo dicas,* ſæpè maxima ingenia, maximis obnoxia eſſe ſceleribus, præſertim ſi excuſſo rationis jugo, absque virtutum cultu, ſibi relinquantur. *Illuſtres ſimili:* Quemadmodum agri fertiliſſimi, niſi ſeges bona ipſis credatur, lolium uberrimo proventu producunt; ita felicisſima ingenia absq; cultu, infelici vitiorum fœcunditate ſunt famoſa. *Hinc iterum tantò gravius odium adverſus Neronem concitetur, quantò facilius reſiſtere turpiſſimo propoſito potuiſſet, ob eam, quam diximus, virtutem. Per correctionem abrumpe hoc membrum, &* III. *Subjunge,* CAVSAM *videlicet, quæ nulla alia eſt, quàm mala animi libido. Connexio cum ſuperioribus talis ſit:* Sed quid virtus posſit, ubi mala libido in animo imperium tenet. *Amplificetur hoc mēbrum gemino L.Com. generatim fœdæ li-*

*bidinis deteſtatione, additis aliquot Effectorum exemplis; tum ſpecialius oſtendendo, quàm* peſtilentisſimum virus ſit ea, ſi in ſceptra cadat, quod plerumque mancipati eidem Reges, cum legibus ſolutos ſe velint, nec pati quemquam monitorem, atrocisſima facinora pro lubitu patrare ſoleant. *Quod ubi iterum exemplis confirmaris, applicatione factâ, Neronem ex hac claſſe fuiſſe proba: Sicq; iterum odium gravius hunc incurrere, quo communiter graviora eorum, qui majores, peccata cenſeri ſoleant, ſi velis poteris hunc L. Com. adducere, ſed obliquè:* Quomodo imperantium vitia maximè noxia ſint ſubditis. *Abrumpe orationem, quod* indignum videatur plura de eo monſtro dicere, neque neceſſarium pluribus adverſus eum odium concitare, quem ſua ſponte omnes oderint. *Ergò in*

*PERORATIONE* de aſſenſu Auditorum neutiquam te dubitare *dicas*, quin potius eam mentem credere, quâ deteſtati turpiſſimum nomen optent, ut nu-

ut nuſpiam ea aut alia ſcelera occurrant, quibus odium; ſed potius florentiſſimus ubique virtutum vigor appareat, quibus amorem teſtari poſſint.

## CAPUT VI.
## De
## METU

Metus Ariſtoteli, *hoc loco*, eſt moleſtia quædam & perturbatio ex phantaſia futuri mali, vel idonei ad interimendum, vel quocunque modo moleſti.

In quo affectu, ut in ſuperioribus, initio vide I. SUBJECTUM, ſive qui facilè metuant, quod Philoſophus unicâ hac deſcriptione proponit, qui ſe putant aliquid paſſuros, & quidem in inſtanti.

*Fuſiorem hujus ſubjecti evolutionem proponit Cauſinus lib. 8. Eloq. c. 22. dum varia tum naturarum, tum fortunarum humanarum ratione habita, dicit eos*

*metuere*, qui parum calidi ſangvinis habẽt, qui atra bile macerantur, qui alacritatem & vigorem indies exſtinguunt, qui obſcuræ vitæ & meticuloſæ diſciplinæ aſſveverunt, qui ſe & alios tenerè diligunt. Prudentes item huc refert, qui absque temeritate circumſpectè agunt, ſi maximè imminens malum conſilijs ſuis non poſſe averti ſentiant: ut & olim multa paſſi hinc non excludendi, quomodo ſenes variam fortunam experti junioribus ſunt timidiores. Tandem & impios ita metuere videas, ut vel folij ſtrepitu conſcientia læſa terreatur. *Vide Autorem ipſum*.

II. OBJECTVM ſive quos metuamus. Huc refert Ariſtoteles 1. eos è quibus noſtra dependet ſalus, ut inprimis etiam, qui, cum facinorum cõſcij ſint, prodere nos poſſunt. 2. Qui poſſunt injuriam inferre. 3. Qui aut patiuntur, aut paſſi ſunt injuriam, ultionis quippe occaſionem obſervant. 4. Quos præſtantiores nobis metuũt,

aut

752607



aut metuere poſſunt. 5. Qui præſtantiores nobis aut invaſerunt, aut ſuſtulerunt omnino. 6. Qui amici ſunt inimicorum, aut injuriam paſſorum, hosq; eo magis, quo magis iram manſvetudine diſſimulant; neq; enim ſcimus, an nocere velint.

III. CAVSAM metus Ariſtoteles in genere proponit Periculum, ſed explicatius poſt eam tradens, Tria videtur innuere. 1. Ea, quæ interimere poſſunt. 2. Quæ quocunq; modo moleſta ſunt: 3. Signa horum, ut ſunt inimicitiæ, iræ, minæ hominum, qui & per malignitatem volunt, & per facultatem poſſunt nocere, & præterea, prodigia, rerumq; moleſtarum portenta.

Nota autem hæc ita ab Ariſtotele exaggerari, ut metuenda maximè timeri dicat. 1. Si ubi ſemel evenerunt, corrigi nunquam poſſunt. 2. Si declinatio eorum non à noſtra, ſed adverſarij dependeat voluntate. 3. Si non niſi difficulter magnoq; cum labore corrigi poſſunt. & 4. Si ita comparata

ſint,ut commiſerationem eò commoveant,quod eadem nos quoq; paſſuros aut pati poſſe putemus.

Secundò artificium movendi hujus affectus videndum, quod ſequentibus comprehenditur.

I. Poſtquam probè conſideravit Orator, apud quos affectum hunc moveat, ſi idoneos eidem deprehenderit, operam dabit, ut quæ in ſuperioribus ſeorſim propoſita ſunt, aptè hic conjunctim miſceat, variis amplificationibus & exaggerationibus, omnia tum objecti, tum ſubjecti, & cauſarum ratione ſeſe ita habere confirmando, ut certus infortunii metus appareat. Inprimis imminere & prope eſſe malum ex ſignis oſtendet, quod faciet, ſi ſimiles eventus ſimilia ſigna, imo graviores leviora inſecutos oſtendat, quæ omnia decenti Oratione exaggerabit, tum & hypotypoſibus deſcriptionibusq; perſpicuis ita proponet, ut oculis obverſari videantur. Quo faciet etiam, ſi eam hominum ſortem oſtēdat ut nu-

ut nullibi ſecuri, ubique multa præter ſpem experiri cogantur.

II. Sed ad ſubjecti movendi cognitionem, multum quoq; facit cognitio earum rerum; quibus iſtud plurimũ occupatur & delectatur, cum maximè eorum ſaluti timeat.

III. Opera danda eſt, ut plura ſupprimere, quàm exprimere videatur, ne in verbis abſumta ira vires in ultione amiſiſſe videatur, cum plerumque uti latratus nimius, minorem canum ſævitiem prodit: ita ſi nimis minax ſit verboſitas, neſcio quid muliebris impotentiæ arguat: & raro, qui ſemper garriunt rivuli, hauriant naves. Quo fine maximè commendantur Ellipticæ Apoſiopeſes, item Allegoriæ ita rem involventes, ut certi nihil inde decernere queat Auditor.

IV. Præterea accuratè à præfractis & deſperatis, bonas mentes diſcernet Orator: apud has enim cum ſaluberrimè operari ſoleat metus, illud ca-

vendum, ut nimia metus exaggeratio, ſtuporem & deſperationem producat, loco pudoris & pœnitentiæ, cum præſertim etiam venerationis aliquid apud has metum comitari ſoleat. Illæ verò cum plerumque ſaluberrima monita eludere, atq; contemnere ſoleant, durioribus cuneis ſunt urgendæ.

Ex quo diſcrimen illud, quo alios vereri, alios timere dicimus: ſed & pro diverſa indole, diverſa incutiendi media eſſe conſtat.

*AFFECTUS HUJUS EXEMPLUM CICERO HABET VERINA III.*

*Nunc quamvis ſint homines, qui mortuum Cn. Carbonem oderint: tamen hi debent, nõ quid illi accidere voluerint, ſed quid ipſis in tali re metuendum ſit, cogitare. Commune eſt hoc malum, communis metus, commune periculum. Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm eæ, quæ latent in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nam eum, qui palam eſt adverſarius, facilè cavendo vitare poſſis: hoc verò occultum, inteſtinum ac do-*

752607



*ac domeſticum malum non modo non exiſtit, verum etiam opprimit, antequam proſpicere atq; explorare potueris.*

Et in eadem:

*Ideo quod communis eſt cauſa, commune periculum: communi præſidio talis improbitas, tanquam aliquod incendium, reſtingvendæ eſt. Habemus enim liberos parvos: incertum eſt, quam longa noſtrum cujusq; vita futura ſit. Conſulere vivi ac proſpicere debemus, ut illorum ſolitudo & pueritia, quam firmiſſimo præſidio munita ſit. Quis eſt enim, qui tueri poſſet liberum noſtrorum pueritiam, contra improbitatem Magiſtratuum? Mater credo. Scilicet magno præſidio fuit Annæ pupillæ mater fœmina primaria: minus illa Deos hominesq; implorante, iſte infanti pupillæ fortunas patrias ademit. Tutoresne defendent? perfacile verò apud ejusmodi prætorem, à quo M. Marcelli tutoris, in cauſa pupilli Junij, & oratio, & voluntas, & auctoritas repudiata eſt.*

Hujus

Hujus Argumenti videatur Artabani ad Xerxem Oratio è Polymnia Herodoti.

## DISPOSITIO XI.
### CONTINENS

### *EXEMPLVM MOVENDI AFFECTVM TIMORIS IN ISRAELITIS AD MARE RVBRVM.*

E*XORDII loco breve quoddam proœmum præmittatur, quale ſolet in ejuſmodi conſternationibus, à reipſa deſumptum, cum* IMPLICITA PROPOSITIONE; *interruptum præterea, ac ipſis verbis fluctuantis animi inconſtantiã proponens, hoc forte modo:* Illudne ergo erat, miſera gens, cur AEgypti ubertate relictâ eò redires, ubi cruenta morte occideres, ſepulcroq; carens, piſcium, avium eſca fieres: *Adde ejuſmodi alia ab oppoſitione præſertim præſentis ſtatus, & AEgyptij, ex loco Biblico, ſub Concluſione Proœmij Moyſi ipſi exprobretur meticuloſitas,* quæ animum imminentia

752607



nentia mala prævidentem eripuerit, &, ſi res probè conſideretur, non poſſe aliter animos eſſe comparatos. *Hac occaſione ſequatur*

*TRACTATIO, quæ motum hunc confirmet & deſcribat tum ab* ADJVNCTIS, *tum à* SVBSEQVENTIBVS. *ADJVNCTA præcedant, ſintq́; vel PERSONARVM vel RERVM. Adjunctum* PERSONARVM *primò* ISRAELITAS *proponat, quos deſcribe ab impotentia, quod videlicet* imbellis ſit turba, expers tractandorum armorum, nullis Imperatoribus, nullo exercitu inſtructa, mulierum & infantium comitatu impedita; *adde aliud adjunctum, quod* cauſæ bonitate deſtituantur: Nam clam, invito Rege, imo per fraudem decepto, adhæc furto infames ex AEgypto aufugerunt; *Inſeratur hic Locus Communis quod* hoc fortè tempus *ſit,* quo vindicaturus ſit DEVS fraudes ipſorum & malos dolos, quibus pro benefactis malefacta AEgyptijs rependerint: Deum namque cùm omni ſce-

leri,

leri, tum maximè, fraudibus & impoſturis hominum infenſiſſimum eſſe, *& eo fine excitaſſe perſecutorem* PHARAONEM; CVJVS *adjuncta ſecundo loco ſubjungantur, ſuntq; illa,* innumerabilis copia, ac lectiſſima militum manus, *& cætera omnia contraria priori Iſraelitarum adjuncto, accedit* iratus Regis animus, non tantum communi in Iſraelitas odio, ſed etiam ſpeciali, quod ſub diſceſſum commiſerunt, delicto commotus. *Amplificetur tum in genere à communi Regum adjuncto*, quod iræ magis in dulgeant, quàm alij, quia vix à quoquam ſe cohiberi patiuntur, & tum maximè, ſi læſa ipſorum majeſtas injuria, cujus quam impatientes ſunt, videatur; *tum in ſpecie à* Pharaonis hujus ſævitia, quam antea experti jam fuerint, in cæde recens natorum filiorũ, quæ cum tantum in innocentes graſſata ſit, facilè colligi poſſe, quantum jam in Majeſtatis reos ſit ſævitura. *Adjuncta* RERVM *ſint partim* LOCI, *partim* TEMPORIS. *LOCVS deſcribatur ab*

*adjun-*

752607



*adjunctis anguſtijs*, quæ undiquaq; eos ita incluſerint, ut nec fugæ, nec alia ſalutis ſpes ſuperſit. *TEMPVS verò illud eſſe dicas*, quo jam à tergo Pharaonis exercitus immineat, ante ipſos vaſtiſſimum mare intueantur. *Amplificatio à ſimilitudinibus, vel ab aucupio deſumptis, vel aliis venationum ſpeciebus*, quibus feras perſequi ſolemus, usque dum intra retia & plagas eas cogamus. *Poterit hic imbellium damarum timor, & alia ejusmodi addi. CONSEQVENTIA exponant ipſum periculum, quod è Pharaonis victoria timendum ſit, videlicet, totalis deletio univerſæ gentis. Exaggeretur hoc per comparationem cum ſuperiori calamitate*, ſervitute *videlicet*, quam in AEgypto pertulerint, eamq; utut gravis fuerit, tamen cum vitam reliquerit, tolerabiliorem videri hac ultima clade. *Poſſunt hîc per diſtributionem quædam calamitatis AEgyptiæ ſpecies recenſeri, & ſubjectis excuſationibus mitigari, ut* quod graviſſimo labore fuerint obruti, *qui molliatur dicendo*;

labo-

labores competere homini, imo utile eſſe adverſus vitia remediũ : *item* quod ſævitia præfectorum fuerint vexati, at finis ſperari poterat, ex communi viciſſitudine rerum humanarum. *Breviter hic Locus Communis inſeratur, à Spei effectis quod videlicet* ſpes omnia leviora faciat, hinc quæcunque AEgyptus intulerit mala, hoc remedio ſuperari potuiſſe, nunc vero omni ſpe ſublata, extrema imminere. *Alio modo exaggera hoc conſequens per Hypotypoſin futuræ cladis, enumeratione partium, & affectu commiſerationis illuſtratã, hoc forte modo:* Jam horret animus, dum cogitat crudelem victoris ſuperbiam, quâ in obvios quosquē ſæviet, non ibi matrum preces ſobolem, non innocẽtis ætatis lacrymæ parentes conſervabunt. *Adde eodem modo alia diſtributionum genera, deſumpta tum ab ætate, conditione, culpa vel innocentia Iſraelitarum, qui paſſuri ſint illa mala; tum à variis crudelitatis medijs & inſtrumentis,* alius ferro, alius igne ſæviet, alius

752607



aurum, alius vitam, alius pudorem eripiet. *Ut illuſtrior fiat affectus, Apoſtrophe ad Deum inſtituatur, cum interrogatione, ita, ut ſimul recenſeatur omne illud infortunij genus, quo majores ipſorũ fuerint afflicti, hoc forte modo:* Itane ergò tibi, ſumme Deus, perpetuis calamitatibus exercere Iſraelem placuit. *Subjungantur hic ex Hiſtoria ſacra Exempla calamitatum, quas Iſraelitarum majores perpeſſi ſunt, ad ea uſq; tempora.*

*PERORATIO tandem plena deſperationis, ſit abrupta, & conciſa:* verba hic fruſtra proferri, cùm avertere damnũ non poſſint, quin itaq; prout ſumus gens aſſveta malis, cervices ultrò præbemus, ac cum aliud futuri mali ſolatium non occurrat, mortem tantum, unicum ejus terminum, anxiè exoptamus.

## DISPOSITIO XII.
### CONTINENS
### *SECVNDVM EXEMPLVM MOVENDI AFFECTVM METVS*

*IN*

## *IN ROMANIS URBE A GALLIS CAPTA EX Libro 5. Decad. 1. Livij.*

*EXORDIUM iterum, prout præcedens per inciſa inſtituatur, deplorando fortunam Romæ,* quæ eò redacta ſit, ut inaudito exemplo ea metuere cogatur, quæ inferre olim alijs pleno triumpho ſolita fuerit. *Exaggerationis cauſa Apoſtrophe inſtituatur ad priſtinam majorum virtutem, quâ ſemper inconcuſſa Reip. ſecuritas ſtetit, ita ut per correctionem dicas,* nequicquam tamen, etiamſi ea præſens ſit hoc tempore, profuturam, cum omni deſtituta auxilio, plenâ periculi faciem oſtendat miſera civitas. *Oblique ſaltem*

*PROPOSITIO innuatur,* quod tanta pericula nil niſi metus conſequi posſit.

*TRACTATIO PRIMO conſideret ROMAM, eamq; à variis adjunctis deſcribat, quæ uti periculum maximum indicet, ita graviſſimas timendi cauſas probent:*

*bent: Nam* 1. deſtituta urbs præſidiis, quibus maximè ſemper fuit conſervata. 2. inteſtina oppreſſa diſſidiis, quæ quantum in tranquilla, nedum turbata Republ. poſſint *ex Loco Communi proba*. 3. Patres ipſi, quorum autoritate ſupprimi poſſent diſſidia, quorumq; conſilio providendum eſſet ſaluti Civitatis aſſerendæ, deſperatis jam rebus, obſtinato ad mortem animo, hoſtium adventum exſpectant. *Quod adjunctum lamẽtabili exclamatione exaggeretur, quæ allegoriam, a Parentum filiorumq́; neceſſitudine deſumptam, applicet Magiſtratibus*, ad quos, velut ad parentes liberi, cives fugiant auxilium implorent, de priſtino curando Reipub. ſtudio admoneant, ſpem niſi ab illis reſtare nullam, quæ tamen omnia cum fruſtra agantur, quam tandem ſalutem ſperent? *Amplificatio addatur à contraria felicitate Rerumpubl.* quæ ſapientum conſilio conſerventur; *ſed per correctionem 4. adjunctum adde*, nil ſenum conſilia prodeſſe *dicendo*, ni-

ſi mi-

ſi militum robur ea exequatur; aſt quomodo hic executio ſperanda, ubi non modo hoſtili terrore animi erepti, ſed & fame corpora exhauſta? *quod adjunctum iterũ amplificetur, oſtendẽdo* graviſſimum periculum eſſe, ubi natura ipſa adverſatur, hinc quam nulla virtus, etiamſi mille hoſtes fundat, famem absque ſubſidio vincere poſſit, *oſtende. 5. moram Dictatoris exaggera, ita ut tacitæ objectioni, qua plurimum ſpei in ejus adventu multi jactent, reſpondeas à natura belli,* in quo niſi opportuna auxilia ſint, vana eſſe etiam validiſſima, *dicas*: Hinc quantillũ ſpei à Dictatoris cunctatione ſuperſit, colligẽt. *Ea occaſione ad II. MEMBRVM progredere in quo deſcribas GALLOS hoſtes. Connexio ſit cum ſuperiori*: interim dum moretur Dictator, creſcere hoſtium ſævitiem. *Hinc deſcribe expreſſius Gallos.* 1. quod in furorem quaſi nati crudeliſſimè ſæviant: *quod probès præſertim ex hoc ipſo bello*, in quo non modo quacunque perrexerunt, ad urbem, obvi

752607



obvios trucidarint, urbes agrosque vaſtarint, ſed & in ipſa urbe Roma, inaudita crudelitatis ſigna ediderint, partim cæde ſeniorum, principum & patrum, poſt quos nulli mortalium pepercerint; partim direptione ædium; partim concrematione maximæ Civitatis partis: *quod adjunctum exaggeretur à conſequenti, ſubijciendo Hypotypoſin ſummæ illius crudelitatis, quam poſt plenam victoriam in urbem civesq; ſint exercituri, cùm tanto jam furore intra dubiam belli aleam omnia agant. Poterit, ut in proxima, diſtributio iterum adhiberi* 2. quod proximè immineant & facile ſit expeditu Gallis hoc ipſum: *id quod probes tum ab Antecedenti* feliciſſimæ pugnæ eventu, qui quantopere animos ſoleat addere militi *ex Loc. Cō. proba; tum ab opportunitate loci:* jam enim urbem captam, ſolam arcem Capitolinam extra hoſtium poteſtatem eſſe, quam tamen & ipſam eò propiorem periculo eſſe, quo magis deſerta ſit â Dijs præſidibus, quippe qui Vejos con-

conceſſerint. *3. In hoc membro inſtituatur comparatio hujus calamitatis, cum prioribus Reipubl. periculis*, nullum tamen tam graviter imminuiſſe *dicatur*, quod jam intra urbis mœnia hoſtes impunè graſſentur: *ſicq; ad III. MEMBRVM perge quod CAVSAM hujus belli contineat, videlicet*, æſtimationem dignitatis Gallicæ, quam quia violatam eluſione Legatorum à Romanis Galli putent, tam atrociter hanc rem vindicari. *Hoc membrum amplificetur L. Com. Politico, cujus & in proxima mentio facta eſt:* Nil magis afficere Reges, quàm contemptum. *Transferatur ad hypotheſin*, eo magis id hoc loco contingere, quo impotentiores Galli ſint ferendarum injuriarum. *Per præciſionem ſubjungatur*

*PERORATIO Pathetica, quæ iterum deploret*, ea tempora eſſe, quibus quam nunquam absque pudore alias dicturus eſſet, nunc libere emittat vocem, aut à crudelitate mortem exſpectan-

752607



ctandam, aut deditione hoſtum furori occurrendum.

## CAPUT VIII.
## De CONFIDENTIA.

Confidentia eſt ſpes cum Phantaſia rerum ſalutarium, ut quæ propè ſint, metuendarum vero, aut quæ non ſint, aut quæ longè ſint.

*In explicatione hujus definitionis CL. Voß. lib. 2. c. 7. n. 2. addit*, quod confidentia ſeu ſpes, ſe potiſſimum exſerere debeat in propriis, non alienis periculis.

*Cæterum & hic nota initio I. SUBJECTUM* qui ſperent aut confidentes ſint: quorum ſequentem ordinem ex Ariſtotele colligimus. 1. Qui, cum rectè ſemper egerint, mali nihil ſunt paſſi. 2. Qui, ſi paſſi ſint, evaſerunt. 3. Si videāt ſimilem caſum, nec ſimilibus nec inferioribus metui. 4. Qui earum rerum copia abundant, quibus

inſtructi

inſtructi ſunt metuendi; & præſtantiores: qui domi habent affatim, quod periculo opponant, ſive id ſit pecuniæ multitudo, ſive robur corporis, ſive præſidia amicorum, & alia naturæ fortunæq; ſubſidia. 5. Integri vitæ ſceleriſque puri, id eſt, qui aut neminem, aut paucos, aut non eos, à quibus metuunt, aut non graviter læſerunt. 6. Qui, cum pietati rebusque ſacris unicè operentur, resque divinas curent, ſe viciſſim Deo curæ eſſe credunt. 7. Qui prius adoriuntur ac impetum faciunt. Hos enim vel nihil paſſuros ſe, vel rectè acturos ſtatuere putat Ariſtoteles.

2. *CAVSAM (OBJECTI namq; conſideratio peculiaris hic non inſtituitur, cum non tranſeat in alium, ſed immanẽs ſit hic affectus)* quam ita ſe habere ſtatuit Ariſtoteles, ut fiduciam afferant 1. Mala remota, ſalutaria præſentia, quo præmia referre licet. 2. Media emendandi caſum, vel errorem præſentem, facilè obvia. 3. Auxilia & multa, & ma-

& magna, de quibus ſupra. 4. Quæ alijs, dum eadem paterentur, non nocuerunt. 5. Illata ab adverſarijs vel impotentibus, nullamque facultatem habentibus, vel amicis quondam atq; benefactoribus.

II. Artificium & ratio movendi hunc affectum, cujus potiſſimus uſus in adhortationibus, conſolationibus, impulſionibus videtur, quamvis ex proximo, qui contrarius erat, metus affectu ſatis pateat, pauca tamen in ſequentibus addemus. 1. ergo & ante omnia oſtendenda eſt poſſibilitas rei, quam ſperas, obtinendæ ex ſimili priorum temporum eventu. 2. addes certa media, quæ obtinendæ eidem proſint. 3. imminues adverſantium vires. 4. Prout in metu dira portenta, ita hoc loco ſalutaria auſpicia atque omina propones, ac eadem perſpicuitate deſcripta, oculis animisq; ſubjicies.

*Reliqua ex metu per contrarium collige, & aliàs facilis eſt hujus affectus commotio, cum nihil ferè adeò leve ſit,*

 *ad quod*

*ad quod credula ingenia non adhæreſcant.*

*AFFECTVS HVJVS EXEMPLVM VIDEATVR IN CICERONIS ORATIONE IV. PHILIPP.*

*Ita verò, Quirites, ut precamini eveniat, atq; hujus amentiæ pœna in ipſum familiamq; ejus recidat. Quod ita futurum eſſe confido. Jam enim non ſolum homines, ſed etiam Deos immortales ad rempubl conſervandam arbitror conſenſiſſe. Sive enim prodigijs atq; portentis Dij immortales nobis futura prædicunt; ita ſunt apertè denunciata, ut & illi pœna, & libertas nobis appropinquet: ſive tantus conſenſus omnium ſine impulſu Deorum eſſe non potuit, quid eſt, quod de voluntate cœleſtium dubitare poſſimus? Reliquum eſt Quirites, ut vos in iſta ſententia, quam præ vobis fertis, perſeveretis. Faciam igitur, ut Imperatores inſtructa acie ſolent, quanquam paratiſſimos milites ad præliandum videant, ut eos tamen adhortentur, ſic ego vos ardentes &*

752607



*tes & erectos ad libertatem recuperandam cohortabor.*

ET IN CVRTII ORATIONE ALEXANDRINA AD MILITES: lib. IX.

*Veſtras manus intueor, veſtram virtutem rerum, quas geſturus ſum, vademprædemq́; habeo. Quam diu vobiscum in acie ſtabo, nec meos, nec hoſtium exercitus numeravero. Vos modo animos mihi plenos alacritatis ac fiduciæ adhibete. Non in limine operum laborumque noſtrorum, ſed in exitu ſtamus: Pervenimus ad Solis ortũ & Oceanum, niſi obſtat ignavia, inde victores, perdomito fine terrarum, revertemur in patriam. Nolite (quod pigri Agricolæ faciunt) maturos fructus per inertiam emittere è manibus. Majora ſunt periculis praemia, dives eadem & imbellis eſt regio. Itaque non tam ad gloriam vos duco, quam ad prædam: Digni eſtis, qui opes, quas illud mare littoribus invehit, referatis in patriam: Digni, qui nihil inexpertum, nihil metu omiſſum relinquatis. Per vos, gloriamq; veſtram, qua humanum faſtigium exce-*

*exceditis, perq́ʒ mea in vos, & in me veſtra merita, quibus invicti contendimus, oro quæſoq́ʒ, ne humanarum rerum terminos adeuntem alumnum, commilitonemq́ʒ veſtrum, ne dicam Regem, deſeratis.*

Vide orationem Galgaci in Taciti Agricola, quæ quamvis tota hoc affectu occupetur, inprimis tamen ea, quæ ſub finem ſunt, huc referre placuit.

*Omnia victoriæ incitamenta, pro nobis ſunt: nullæ Romanos conjuges accendunt: nulli parentes fugam exprobaturi ſunt: aut nulla pleriſq́ʒ patria, aut alia eſt; paucos numeros circum trepidos ignorantia, cœlum ipſum ac mare & ſilvas, ignota omnia circumſpectantes, clauſos quodammodo ac vinctos, Dij nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aſpectus, & auri fulgor atq́ʒ argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. In ipſa hoſtium acie inveniemus noſtras manus: agnoſcent Britanni ſuam cauſam, recordabuntur Galli priorem libertatem, deſerent illos ca-*

752607



*los cæteri Germani, tanquam nuper Vſipij reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis, vacua caſtella, ſenum coloniæ, inter malè parentes & injuſtè imperantes, ægra municipia & diſcordantia. Hic Dux hic exercitus: ibi tributa & metalla, & cæteræ ſervientium pœnæ: quas in æternum proferre, aut ſtatim ulciſci in hoc campo eſt: proinde ituri in aciem, & majores veſtros, & poſteros cogitate.*

## DISPOSITIO XIII.
### CONTINENS

### *EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM SPEI SEV CONFIDENTIAE IN JOBO AFFLICTISSIMO.*

*EXORDIVM breve ſit deſumptum à præſenti Jobi afflictione, quam dum intentius conſideres maximo teipſum dolore affici dicas. Rationis loco Amplificatio ſit ab Adjunctis Jobi virtutibus, pietate, ju-*

*te, juſtitia*, quibus cum maximè excelluerit, inde magis has graviſſimas pœnas, tam optimo viro inflictas, temirari. *Vlterioris Amplificationis cauſa afferantur ſimilia ex natura petita, quibus oſtendas & nobiliſſima quævis viciſſitudinis lege non eximi:* Sic luciditiſſimus Solis ſplendor ſtatis Ecclipſib9 & quotidianis noctis tenebris obruitur: Sic nobiliſſimarum arborum amœnitas, brumæ inclementia extingvitur, nec aliter eminentiſſimum pietatis decus, fortunæ difficultates experitur. *Adverſativa.* Verum enim verò, & ſolis lucem aurora, & arborum amœnitatem primum Ver reducit, & duriori ſorte mutata pijs reddit gaudia DEI bonitas. *Concluſio cum*

*PROPOSITIONE:* Ea mente te acceſſiſſe dicas, afflictum ut adhorteris Jobum, ne animum omnino abijciat, ſed lætiora tempora certâ ſperet fiducia.

*TRACTATIO confirmet Propoſitionem I. à CAVSA SPEI EFFICIENTE*

*vid.*

*videl. DEI mandato*, qui & inter duriſſimas oppreſſiones bene homines ſperare jubet. *Addatur ratio hujus mandati ex attributis DEI, à bonitate, veritate & omnipotentia, hincq́ probetur*, quod & velit juvare, non modò ob patrium mentis affectum, ſed & expreſſam auxilij promisſionem, quam fallere neſcit æterna veritas: & posſit, ob infinitum potentiæ robur, quo omnia diſponit & gubernat, adeoque rerum omnium ſtatus ſolo nutu mutat. *Amplificationis loco addatur conditio verbi divini*, quod nunquam fruſtra profertur, ſed certo exitu confirmatur. Hinc prout minas certa ſequitur pœna, ſic promisſiones nunquam eventus deſtituit. *Confirmationis loco citentur Exempla, exornata per Apoſtrophen hoc modo:* Teſtis hujus rei es primæ gentis noſtræ conditor, cum male credula conjuge. *Addantur ex Biblijs & comminatio & exſecutio pœnæ: Eodem modo primi orbis homines allega, item Sodomitarum & Gomorrhæorum interitum; ſubjunge his*

*promiſſionum quoque divinarum veritatem, confirmatam à Noachi exemplo, quem inter medias undas ereptum ſervavit, Lothi inter urbium incendia illæſi. Exornetur hæc auxilij divini promptitudo pro certiori ſpe facienda varijs Dei nominibus, quæ per ſimilitudinem ei tribuuntur, ut* quod parens noſter dicatur, cujus affectum *exaggera* in depellendis periculis, & aſſerenda filiorum ſalute: quod Rex noſter dicatur æquisſimus, qui non ſinat ludibrio hoſtium ſubdito s exponi, ſed eorum ſalutem ſummo ſtudio defendat; quod Paſtor noſter ſit, qui imbellem ovium gregem ferarum ferocitati eripere norit. *Inſtituatur Apoſtrophe cum communicatione ad Jobum;* ſi ſervo tuo periculis oppreſſo ferre poſſes auxilium, quid ageres, linquereſne, an ut liberaretur ſummo ſtudio laborares? *Subjungatur reſponſio, quod* prius illud non admiſſura videatur Jobi pietas, ſed auxilium certum ei latura ſit, eadem proinde Jobꝰ de DEO cogitare *jubeatur*, cui vera pietate

752607



etate ſervierit, ejusque patrocinium toties expertus ſit, ut rerum omnium certiſſimam in eo locare ſpem poſſit.

II. *Ab ADJVNCTA SPEI NATVRA*, quæ nũquam pudefacere pios dicitur. *Ratio addatur.* cum namque ſimilis ſit virtuti, nunquam deſerit ſperantem. *Amplificationis loco nonnulla de virtute tracta*, quæ cum firmiſſimo nitatur fundamento, nunquam bonam mentem concidere patitur, ſed firmo fulcro ſuſtentat. *Alia Amplificatio à deſperationis adjuncto deſumatur*, quâ ut nihil turpius, ita malis mentibus familiaris quæ cum ſuorum ſcelerum conſciæ, nuſpiam poſſint ſperare auxiliũ, rerum difficultatibus opprimuntur. *Exornatio per Apoſtrophen ad Jobum*, *quâ moneatur*, ut hæc audiens cogitet vitæ prius actæ ſanctitatem, indeq; naſcentem cõſcientiæ integritatem, quæ una feliciſſima ſpei mater ſit. *Exempla adde, ita tamen ne continuetur Apoſtrophe, eorũ* qui hoc uno medio confirmati, optimè inter graviſſimas affli-

ctiones ſperarunt. *Alia Amplificatio ſubjungatur à ſimilitudine, ut* quod Laurus nec fulmine tangatur, nec viriditatem amittat inter brumæ injurias; ita ſpem ſemper floridam conſtare *dicat* etiam inter adverſitates. *Item* quod quemadmodum arborẽ ad aquas conſitam, adverſus ardentiſſimos Solis radios, frigidus reficiat humor, ita dulce afflictorũ refrigerium ſpes ſit. *Cõcludatur nova Apoſtrophe per cõmunicationem h.m.* Hic utrum velis, Jobe, cogites, omnine ſpe abjectâ, priſtinum maſculæ virtutis decus, muliebribus lamentis obliterare, an forti animo lætiſſimum ſperare exitum?

*PERORATIO eandem continuet Apoſtrophen, horteturq́ᵹ* ut colligat animum, cumq; tot rerum ſuarum jacturas, ſumma cum conſtantiæ laude toleraverit antea, hoc quoque corporis damnum, certiſſima divini auxilij ſpe vincat.

DISPO-

752607



# DISPOSITIO XIV.
## PROPONENS

*EXEMPLVM SECVNDVM MOVENDI AFFECTVM SPEI SEV CONFIDENTIAE IN SOCIIS AENEAE, NAVFRAGII PERICVLO OPPRESSIS. 1. lib. AEn:*

E*XORDIVM breviſſimum ſit & inſinuatorium, quo*, cum fruſtra fortè videatur *dicas* afflictisſimis, ſpeq; omni deſtitutis, cõſolationis argumenta proferri ab eo præſertim, qui pari, cum iſtis difficultate laboret, tamen affectum eum in te eſſe, quo uti ſemper tenerè ſocios dilexeris, ita nunc etiam, quantum poſſis prodeſſe ijsdem velis. *Breviſſimè amplificetur à communi dicterio:* Quod ægræ mentis medela ſit oratio. *Concluſio Exordij cum implicita*

*PROPOSITIONE* hinc ſperare te *dicas*, revocatum iri ferè amiſſos animos

nimos, & leviora fore, quæ jam graviſſima videantur.

*TRACTATIO duobus potiſſimum fundamentis nitatur. 1. Deſcribat SVBJECTVM PATIENS, videlicet ſocios AEneæ, in qua diſcriptione inprimis fortitudinem eorum, cujus beneficio graviora lōgè ſuperarint, collauda, quæ ut clarior fiat, poteris collationem inſtituere eorum, quæ antea paſſi ſint, cum his quæ jam patiantur, atq; ita cum methodo cryptica utatur Virgilius, ex ſubſequentibus enumerare libris; tum quæ juxta lib. 2. in devaſtatione patriæ fortiter contra hoſtē geſſerint, quæ quod non feliciter ceſſerint, non ipſorum culpâ, ſed Deorum fato contigiſſe: tum quæ juxta lib. 3. in graviſſimis navigationis difficultatibus ſint experti, quorum omnium ea ratio fuerit, ut longè duriora fuerint & tamē feliciter ſuperata. Amplificetur Loco communi (1) quidem à communi hominum ſorte*, qui ita fortius mala ferre ſolent, prout magis ijsdem ſunt aſſveti. *Illuſtretur per eorum Exemplum*, qui malorum ignari primo

adver-

752607



adverſitatum impetu collabuntur. *Applicetur dicendo:* non adeo ab humanitate eos alienos eſſe, ut non communi huic ſorti ſubjecti, communi quoque eventu hæc tolerent. *(2.) A ſpeciali virtutis indole*, quæ tantum abeſt, ut malis frangatur, ut eo ſolidius confirmetur, quo durioribus exerceatur. *Notiſſimum hunc Locum Communem illuſtrabis ſimili è re præſenti, immota videl. ſcopulorum conſtantia*, quos utut flagellent fluctus, non tamen franguntur. *Applicetur per Apoſtrophen cum fortiori exaggeratione*, *quâ* forti turpiſſimum eſſe dicas, ſi virtutis immemor fortunæ ſuccumbat, hinc ipſi, quæ gloria ipſorum futura ſit, ſi ultimis hiſce malis fracti concidant, colligere *jubeantur*.

*II. Deſcribat* CONSEQVENS, læta *videlicet* viciſſitudine terminanda hæc pericula *dicas*, & omnia ea ſubſecutura, quæ à fatis promiſſa ſibi ſciant, *quorum ſummam ex loco Virgilij allegato pete. Interea amplif. cauſa hujus con-*

*ſequen*

*ſequentis certitudinem confirma partim à leviſſimâ forunæ inconſtantia*, quæ uti in proſperis ita in adverſis nunquam perſiſtit, ſed prout in iſtis, cum ſplendidiſſimè nitet, citisſimè frangitur, ita in his, cum graviſſimè ſævit, citiſſimè furorem ponit. *Iterum ſimile addatur illuſtrationis cauſa, è re præſenti*, maris paulo antegreſſo furore, quem tamen ſubſidere pauliſper videāt, eam rationem fortunæ eſſe, quæ prout mare molitur quidem evertere fortisſimorum virtutem, ſed emoliri, quod volebat, nunquam valet. *Partim à certiſſima fatorum promiſſione, ubi ad ingenium Paganorum, Deorum fides exaggeretur, de cujus certitudine dubitare nefas ſit, idq; in ſpecie hoc loco confirmari poterit*, quod DEA ipſe natꝰ Venerem matrem habeat, quæ nunquam conceſſura ſit, ut eâ miſeria cū ſociis opprimatur AEneas. *Hinc jubeantur per Apoſtrophen* durare, animisq; lætioribus ſumptis, ſervare ſe rebus ſecundis. *Vbi aliud conſequens breviter tractetur*, dulcis illa inter futuram

752607



turam tranquillitatem præteritorum malorum memoria. *Quod ut ornatius tractetur, poteris per diſtributionem contraria inter ſe comparare, ut:* Trojæ antiquæ devaſtationem, Novæ Trojæ reſurrectione; difficultatum maritimarum acerbitatem, quietis jucunditate abolitum iri. *Hiſce breviter Locum Comm. ſubjice*, omnem felicitatem eò gratiorem, quò gravior, quæ præceſſit, fuerit calamitas, contra vix minimam felicitatis partem delibare eos, qui gravia nunquam paſſi ſunt.

*PERORATIO ex abrupto ſubjungatur, dicendo* apparere jam ſereniores vultus, nec dubium eſſe de excitatione animorum, id ſi ſequatur, jam ſe prævidere ejus temporis felicitatem, quo ſimul omnes tantis malis erepti nova regna ſint conſtituturi.

## CAPUT VIII.
## De
## PUDORE.

Pudorem dicit Ariſtoteles ( *cujus autoritate liceat eum inter affectus numerare, quamvis non ignotum ſit, quo ab alijs referatur* ) dolorem quendam ac cõfuſionẽ in ijs, quæ ad offenſionẽ exiſtimationis videntur pertinere, malis aut præſẽtibꝰ aut præteritis aut futuris.

*Primo itaq; in hujus affectus theoria* I. *SVBJECTVM eſt* quod pudore facilè afficitur. Quo refer 1. eos, qui corũ converſatione utuntur, apud quos facile pudet; quos in objecti conſideratione deſcribemus. 2. qui ea patrarunt, quorum turpitudo aut propriam, aut majorum aliorumque cognatorum æſtimationem maculare queat. 3. Qui competitoribus undiq; cincti præter decorum egerunt. 4. Qui verſantur cum ijs qui turpitudinis conſcii ſunt.

*II. OBJECTI* loco ij veniunt, apud quos pudere ſolet, quorum & paulo ante mentio fiebat; hos ita enarrat Ariſtoteles, ut poſtquam in genere dixerat, apud eos pudere nos, apud quos honorem ſartum tectum velimus, ſpe-

cialius

752607



cialius explicet referendo huc 1. eos, quos nos ſuſpicimus, quales ſunt Domini ac poſſeſſores eorum pretioſorum, quæ nos impenſe amamus, adeoque deſideramus. 2. à quibus ſuſpicimur, aut ſuſpici volumus, vel qui rebus noſtris egent. 3. Cum quibus de honore contendimus, ut ſunt ſimiles. 4. Quorum curamus judicium, ut ſunt, partim ſenes & eruditi, aliave gravitate pollentes, partim qui præſentes obſervatores actionũ noſtrarum ſunt, partim talium criminum immunes, partim qui difficulter ignoſcunt peccatis, partim qui facilè effutiunt, quæ ſciunt, ſive ſint maledici, ſive inimici, partim quorum ſemper benevolentiã ſumus experti, ſive, ut habet Ariſtoteles, à quibus nunquam repulſam tulimus, nam & eos ſuſpicere videmur.

*III. CAUSAM* pudoris conſtituunt omnia ea, quæ vel vitia, vel vitiorum ſigna tum in nobis, tum in noſtris deprehenſa.

*Talia*

*Talia juxta Ariſtotelem ſunt, quæcunq; à vitioſitate opera ſunt, quæ, cum prout notum eſt, latiſſimè diffundãtur, hîc recenſeri non poterunt, ſed ſufficiat* vitio vitato, pudoris cauſam vitatam eſſe.

*Secundò in praxi ſive uſu hujus affectus, qui maximè tamen in genere deliberativo ſpectatur,*

I. ante omnia videndum eſt, cum quibus agas, cum bonisne & virtutem amantibus, quos facile pudore perfundes, an cum durioris cervicis hominibus, quibusque, ut ille ait, frons nulla eſt, hos enim cum nunquam aut raro puduit, difficulter hoc affectu tangi videbis.

2. Artificium ipſum per inductionem aliquot vitiorum prolixè ſatis oſtendit Voſſius lib. 2. Inſtit. Orator. c. 8. n. 4: tu ea inde pete, & operam da, ut inprimis eam harum rerum turpitudinem eſſe probes, quam & ipſi antea, & alii ſequioris Ordinis homines extremè averſati fuerint, id quod pro ſingulo-

gulo-

gulorum vitiorum, puta avaritiæ, timiditatis &c. ratione facilè oſtendes.

III. Maximè affectum hunc movebis, ſi ipſi toto animo, ab eis quorũ pudor excitandus eſt, abhorrere videamur, adeoque cum pleniſſima impietatis & turpitudinis ſint, etiam mentionem ipſorum timida oratione faciamus.

*Reliqua, cum averſatio quædam pudorem comitari ſoleat, ſi præſertim nondum patratum ſit facinus, per contrarium ex amoris, ut & ex cognato quodammodo timoris affectu patere videbis.*

*AFFECTVS HVJVS EXEMPLVM HABES IN VERRINA VI. Ciceronis:*

*In populi Romani quidem conſpectũ, quo ore vos commiſiſtis? nec prius illam crucem, quæ etiam nunc civis Rom. ſangvine redundat, quæ fixa eſt ad portum, urbemq; veſtram, revelliſtis, neq; in profundum abjeciſtis, locumq; illum omnem expiaſtis, quam Romam atq; in horum Conventum adiretis? In Mamertinorum*

ſolo

*ſolo fœderato atq; pacato monimentum iſtius crudelitatis conſtitutum eſt. Veſtrane urbs electa eſt, ad quam qui adirent ex Italia, crucem civis Rom. prius, quam quenquam amicum populi Romani viderent? quam vos Rheginis, quorum civitati invidetis, item incolis veſtris civibus Rom. oſtendere ſoletis, quo minus ſibi arrogent, minusq; vos deſpiciant, cum videant jus civitatis illo ſupplicio eſſe mactatum.*

*IN LIVIO* lib. *V. DEC. I. IN ORATIONE APPII CLAVDII:*

*Obſecro vos, venandi ſtudium ac voluptas homines per nives ac pruinas, in montes ſilvasq; rapit: belli necesſitatibus eam patientiam non adhibebimus, quam vel luſus ac voluptas elicere ſolet? Adeone effœminata corpora militum noſtrorũ eſſe putamus, adeo molles animos, ut hyemem unam durare in caſtris, abeſſe à domo non posſint? ut tanquam navale bellum tempeſtatibus captandis & obſervãdo tempore anni, gerant, non æſtus, non frigora pati posſint? Erubeſcant profecto*

ſi quis

*ſi quis eis hæc objiciat: Contendantq; & animis & corporibus ſuis virilem potentiam ineſſe, & ſe juxta hyeme atq; æſtate bella gerere poſſe: nec ſe patrocinium mollitiæ inertiæq; mandaſſe tribunis, & meminiſſe, hanc ipſam poteſtatem non in umbra, nec in tectis majores ſuos creaſſe. Hæc virtute militũ veſtrorum, hæc Rom. nomine ſunt digna, non Vejos tantum, nec hoc bellum intueri, quod inſtat; ſed famam & ad alia bella & ad cæteros populos impoſterum quærere*

Quamvis & plura alia in eadem Oratione occurrant, quæ hujus affectus commotionem docent.

## DISPOSITIO XV.
### CONTINENS

### *EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM PVDORIS IN VXORE POTIPHARIS SVB PERSONA JOSEPHI.*

*EXOR-*

EXORDIVM *breve ſit ac inſinuatorium à perſonà Joſephi deſumptum*, *cujus Propoſitio*, quamvis ſervus ſit, tamen monentem ſalutaria non eſſe ſpernendum. *Ratio à qualitate virtutis*, quæ citra reſpectum perſonæ à quovis laudem accipit. *Amplificatio rationis brevis à Joſephi conditione*, qui etſi fortunam, nō tamen mentem ſervilem habet, ut vitiorum, quorum fœdiſſima ſervitus, mancipium exiſtat, ſed inter duram ſervitutis neceſſitatē perfectiſſima libertate fruitur. *Concluſio Exordij cum*

*PROPOSITIONE:* Hinc ſi velit, fidi ſervi monita admittere, pudebit, quod concepit, criminis, mentemque ad meliora conſilia revocabit.

*TRACTATIO confirmet Propoſitionem* 1. *à CAVSA EFFICIENTE nefarij illius petiti, quæ eſt* fœda illa libido, & illicitus rei turpiſſimæ amor. *Tractetur hæc libido, partim ab adjunctis; partim ab Effectis. Et inter adjuncta dicas*, nil aliud eſſe libidinem, quam inſa-

752607



inſaniam quandam mentis, qua honeſtatis homo oblitus, & DEI & hominum leges ſpernat: *Ratione effectorum*, ſimilem hominem fieri *dicas* hoc ſcelere beſtijs, quæ cœco impetu abreptæ appetitui inſerviunt. *Amplificetur utrumq́ membrum à contraria hominis dignitate*, qua cum ad divinitatis particulam accedat, quanta rei indignitas, è tanto faſtigio infra brutorum ſordes ſponte ſe deturbare? *Alia Amplificatio à comparatis:* Magnum eſſe dedecus, ſi rerum ampliſſimarum dominum, viliſſimi capitis arbitrio ſubijcias, aſt longè majus, ſi illam Dominam ac Reginam, rationem, voluptatum libidini ſubjugaveris. *Applicentur hæc in Hypotheſi, per Apoſtrophen ad uxorem Potipharis, quæ rogetur, ut* accuratius hæc cogitet, ac quo animo, Domina cum ſit, viliſſimæ ancillæ imperium acceptura ſit, fateatur. *Apodoſis ſimilitudinis addatur:* non aliter eſſe, quam infamem illam ſervulam, libidinem, detrectare rationis dominatricis imperium,

rium, ejusque impatiens cum ſit, has turbas dare, ut ſubjugata iſta faſces ſola obtineat, cujus mali principijs niſi obſtes, quæ damna ſenties? *II. Ab EFFECTIS ejusdem criminis: hic oſtendas, quanta damna emanatura ſint ex eo ſcelere, ut* infamia: Non aliter enim futurum eſſe; quam ut omnibus proſtibulum dicatur, quod non modo fidei marito datæ, ſed & propriæ honeſtatis negligens, tam turpe facinus commiſerit. *Hinc alius effectus ſecuturus proponatur, ſc.* dolor, quo, tam levi voluptate, tantum dedecus acquiſitum lugebit. *Poterit hic breviter tractari Locus Communis de digniſſimo illo ſtudio famæ ſervandæ, cujus neceſſitas ex utilitate bonæ famæ prædicetur, quod absq; hac vita ipſa ingrata ſit bonis. Applicentur hæc iterum per Apoſtrophen ad uxorem: cogitet* ſummam mariti, quâ pollet in univerſo regno, autoritatem, quam adeo leviter perdere bonæ mentis non eſſe *dicas.* Cogitet ulterius honeſtam familiam, quæ inculpatâ hucusque laude florue-

752607



floruerit, quamq; iniqua in iſtá futura ſit, ſi tam tetra macula eam turpet. *Aliàs amplificetur à ſimilibus :* Fidem regi datam ſi violet maritꝰ, quæ foret infamia ? nec minus fidei conjugalis ſanctitas ſervanda. Si fœdiſſimarum beſtiarum famoſis nominibus, per contumeliam te tuosq; appellitaret Rex, quâ hanc injuriam mente eſſes interpretatura, & tu non nomen modo ſed indolem earundem aſſumes? *Alterius Amplificationis loco occurras quibusdam objectionibus, ſed brevisſimè, quibus extenuari poterit hoc crimen hoc modo:* Neq; leve hoc crimen puta, quod homine te exuit, & in beſtiam mutat; nam ut rationis obſequio homines ſumus, ita proſcriptione ejꝰ bruteſcimꝰ, neq; iſta occulta futura, quæ clam omnibus hominibus, DEO teſte fiant. *Hincq; tertium effectum deducatur* vindicta divina, *quam proba exemplo diluvij, quo cum varia mundi peccata tum ſcorta inprimis punita eſſe dicas. Poteris hîc iterum illam alloqui & interroga-*

*re*, annon metu Pharaonis Regis omiſſura eſſet flagitium, cujus ſi non præſentiam, tamen delatores, aſt quantò juſtius DEI vindicem oculum potentemq; manum revereatur?

*PERORATIO contineat geminam Apoſtrophen, alteram ad ſeipſum hoc modo:* Abſit, abſit à te Joſephe, ea in Deum impietas, & in clementiſſimũ Potipharem perfidia, ut qui tuæ fidei commiſit omnia, ejus fidem fallas; *alteram ad uxorem, qua oret*, ut dicta benè perpendat & erubeſcat tam nefanda poſt hac concupiſcere, quin ad ſe redeat, quo rationis dominium facilius admittat.

## DISPOSITIO XVI.
### CONTINENS
*EXEMPLVM MOVENDI PVDORIS SVB PERSONA NVMANI AD RVTVLOS, SEGNIVS CONTRA AENEAM PVGNANTES EX lib. 9. AENEID.*

*EXOR-*

752607



E*XORDIVM ſit aſperum plenumque indignationis*, quo, quod nunquã futurum ſperaſſet, jam ſe experiri *dicat*, dum tot belli viciſſitudinibus ſuperatis, nunc iterum langveſcere, animosq; abjicere videantur milites. *Amplificetur ab Adjunctis circumſtantijs, quæ videlicet* nullam ſegnitiem permittant, ſed ſtrenuam potius pugnam requirant, cum intra mœnia concluſi certiſſima præda hoſtium futuri ſint, niſi fortiter erumpant & impetu hoſtium vires frangant. *Oblique ad*

*PROPOSITIONEM accede dicendo:* haud raro verba felicisſimè ei formidini remedium attuliſſe, hinc & ſe ad idem medium confugiſſe, certoque confidere, ſi quæ ignominia in ipſos redundatura ſit, ex ulteriori intermiſſione pugnæ, non vana verba ipſius futura.

*TRACTATIO ignominiam hanc clarius exprimendo, pudorem potisſimum incitabit.* I. *A SVBJECTO, quod ſunt Rutuli, eos itaq; laudabis, deſcriptione de-*

*ne deſumpta ab Adjunctis & effectis*, è *quibus* virtus & fortitudo ipſorũ ſemper ante hac illuxerit,*prout ea recenſentur in loco allegato Virgilii*, *è cujus verbis illud exaggerabis* quod & à natura forti præditi ſint indole, & continuis exercitiis graviſſimo labori aſſveſcant, *quod ex Virgilij methodo tractabis per diſtributionem tum ætatũ*, quomodo recens nati infantes, pueri, adoleſcentes, ſenes ipſi hisce fortitudinis exercitiis occupentur, *tum ſpecierum varij laboris*, dum alii venatui, alii equitandi exercitio, alij difficili agriculturæ labori, alij militaribus negotiis addicantur, & ea omnia tamen, utut videantur gravamina, ludum & jocum ipſis videri, *exaggerationis cauſa dicas*. *Hiſce ſubjunge L. C. quod* hiſce incunabulis ſoleat naſci virtus, iisque eò firmari, ut nusquam poſtea vacillet. *Notiſſimum hunc L. C. confirmabis oſtendendo* quantum ad virtutem faciat, ſi & indoles ipſa huic apta nata ſit, & exercitium continuum accedat. *Si placet per*

*contra-*

752607



*contrarium amplifica:* Multum quoq; prodeſſe, ſi è ſingulis alterum adſit, at utriusq; efficacisſimam vim eſſe. *Applicentur hæc Rutulis, & facultas vincendi hoſtem in ijs oſtendatur, quippe* qui utroque hoc medio ad virtutem & nati & educati ſint. Ergo ipſi eligant, utrum ſegnitie & ignavia velint obſcurare majorum virtutem, an ſtrenua pugna illuſtrare. *Poteris itidem Ironice exprobrare mollitiem verbis Virgilianis ejusdem loci, indeq; per Loc. Com. exaggerare eam turpitudinem, quâ* à nativa virtute & fortitudine, voluptatum illecebris abrepti homines, degenerare ſolent: tanto namque fœdiorem hanc maculam eſſe, quantò clarior prima virtus fuerat, longeque majorem ignominiã ſecũ trahere hãc degenerationẽ, quam eorum eſt, qui nunquam ullo virtutis exercitio inclaruerunt. *II. Argumentum, cũ OBJECTVM in hoc affectu non tractetur,* à CAVSA *ignominiã hanc exaggeret, pudoremque majorem concitet, quæ tamen cauſa ita hoc loco*

*tractãda eſt, ut OBJECTI ſimul inſtituatur deſcriptio.* Cum namq; bellũ adverſus Trojanos gerendum, cauſa formidinis in Rutulis exiſtat, *Trojani deſcribantur*, indeq; indignum *dicatur*, Trojanos à Rutulis timeri, *quod alterum pudoris fundamentum erit. Deſcribes a. Trojanos à varijs adjunctis, quibus vires ipſorum extenuabis, victoriæq; ſpem ipſis adimes, ut,* quod ſint extorres, vagabũdi, copijs militaribus deſtituti, rerum omnium egeni, unde nec quæ vitæ ſuſtendandæ neceſſaria erant, ipſis adfuerint, ſed precario victu & emendicato vivant. Et quæ ijs adeſſe poſſit fortitudo tanta, ut Rutulorum virtutem terreat. *Alia deſcriptio Trojanorum ab antecedenti* patriæ ruina, quam nunquã paſſi fuiſſent, ſi quicquam fortitudinis ipſis adfuiſſet: cum pro Patria etiam timidiſſimi extrema ſubire non verentur. *Aliud adjunctum, quod* profugi Patriam deſeruerint, imò AEneas in primis ſalute Patriæ deſerta privata tantum curarit, ejus rei unicè ſolicitus, quomo-

752607



quomodo familiam & amicos ſervare poſſet, at qui fugere ſoleant? omnibus conſtare, non eſſe id quidem fortium. *Aliud adjunctum: quod* Diis ipſis inviſi ob perfidiam ſint, hinc & tantis in mari cladibus infeſtatos eſſe, quod videlicet Deorum in ſe vindictam concitarint, nec veriſimile eſſe, ijs Deos felicem armorum ſucceſſum largituros, à quibus tam graviter ſint offenſi. *Applicatio iterum per Apoſtrophen ad Rutulos fiat, exaggerando hunc Pudorem, & jubeantur cogitare,* quibus cum ipſis res ſit, annon indignum, eos timere, quorum turpitudini & homines & Dij infeſti ſint. 2. *Addatur Loc. Com. quo* ſemper virtutem animari conſtet adverſarij turpitudine, ſemperque eo lætius hunc impugnari, quo gravius conſcientia ſcelerum laboret.

*PERORATIO brevi recapitulatione inſtituta,* aliam ſe de ijs concepiſſe ſpem *dicat,* qua nunquam putet ipſos tantoperè à Rutulorum ſangvine de-

flexuros, quod, ut reipſa præſtent, ipſi viderint.

# CAPVT XI.

## De GRATIA

*De Gratia acturi non prolixè diſquivimus in eorum ſententiam, qui ex affectuum ordine hanc proſcribunt, cum veſtigia Ariſtotelis preſſuris, iterum præter autoritatem ſummi Philoſophi, & natura rei contrarium ſvadeat.*

*Gratia quippe arctiſſima cognatione cum miſericordia jungitur, nec ab ea, niſi gradu quodam differt, ita ut miſericordia intra animi condolentis ſenſum conſiſtat; gratia verò ad exterius auxilium procedat. Hinc, quæ tam levi intervallo diſtant, quidni ejusdem claſſis locum teneant?*

*Cæterum id negari non poteſt, ob maximam hanc ſimilitudinem, pauciſſimis gratiæ affectum ab Ariſtotele tractari, plu-*

752607



*ri, pluribus ad miſericordiæ affectum rejectis*

Eſt *ergo* Ariſtoteli Gratia, per quam is, qui poſſidet, quod ſalutare ſit alteri, ei, qui indiget, non provocatus ullo antecedenti merito, nec ſpe ſubſecuturi præmij illectus, ſed ſolo auxiliandi ſtudio, ut bene ſit alteri, gratificatur.

*Hujus affectus porro initio proponitur I. SVBJECTVM, ſive ij*, qui ad gratificandum alijs prompti ſunt, videlicet in quorum manu ea ſunt, quorum alij egent.

*II. OBJECTVM* ſ. ij, quibus gratificari ſolemus, ſuntque indigentes.

*III. CAVSA*, quæ alia nulla eſt, quam ea ipſa, quâ alij opprimuntur, indigentia.

*Secundo artificium movendi hujus affectus, quamvis cum ex antecedenti amoris, tum ex ſequenti Miſericordiæ commotione facile patere poſſet, tamen paucula ex iis, quæ de amplificanda gratiâ i.e.*

*fortiori impulſu ad hunc affectum Ariſtoteles addit, ſubjungemus.*

I. ergò & perſona & Res ita proponenda eſt, ut indigentia auxilij clariſſimè appareat, adeo ut ſalvi ipſi eſſe, ſi absque gratia & auxilio relinquantur, nequeant, quod valdè impellet, quicunque vel minimum humanitatis ſenſum habent.

II. Addi poterit loci temporisq; opportunitas, ut & ratione ſubjecti ſi jam deſtituatur auxilio, alias nullum auxilii locum ſupereſſe, dicatur: cùm alias quoque conſtet minima ſæpe beneficia in tempore exhibita, maximorum loco haberi.

*Sic qui eſurienti cibum, nudo intra hyemis ſævitiem tegumenta, intra mortis periculum conſtituto ſecuritatem concedit, quin gratiſſimam præſtet operam, dubium nullum eſt.*

Hinc proinde fortius impelles dicendo, jam per tempus occaſionem pulcherrimæ laudis obtinendæ dari, quæ ſi elabatur, nunquam pulcherri-

mæ rei

752607



mæ rei fructum rediturum, *quo argumento Legati Darij utuntur ad perſvadendam pacem. Curt l. 4. c. 11.*

III. Subjectum ipſum movendum modeſta laudatione deſcribes, quod aut ſæpius miſeris ſuccurrere ſoleat, aut quod validius movebit primo omnium ejus generis gratiam præſtiturum ſit, cujus præſtandæ occaſionem pro ſuâ pietate ſemper optaverit. Quo fine nec inconſultum fuerit, objectum cui gratia facienda ſit, breviter â virtutibus adjunctis laudare.

*Et quæ alia hujus uſus è ſupra nominatis affectibus huc referre licuerit.*

*HVJVS EXEMPLVM VIDEATVR IN EXORDIO IV. CATILINARIAE.*

*Video P. C. in me omnium veſtrum ora atq; oculos eſſe converſos: video vos non ſolum de veſtro ac Reipubl. verum etiam, ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſolicitos. Eſt mihi jucunda in malis, & grata in dolore veſtra erga me voluntas: ſed eam, per Deos immortales quæſo*

*depo-*

*deponite, atq; obliti ſalutis meæ, de vobis ac de liberis veſtris cogitate. Mihi quidem ſi hæc conditio conſulatus data eſt, ut omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatusq; perferrem, feram non ſolum fortiter, ſed etiam libenter, dum modo meis laboribus vobis populoq; Rom. dignitas, ſalusq; pariatur. Ego ſum ille Conſul P.C. cui non forum, in quo omnis æquitas continetur, non campus conſularibus auſpiciis conſecratus, non curia ſummum auxiliū omnium gentium, non domus, commune perfugium, non lectus ad quietem datus, non deniq; hæc ſedes honoris, ſella curulis unquam vacua mortis periculo, atq; inſidijs fuit. Ego multa tacui, multa pertuli, multa conceſſi, multa meo quodam dolore in veſtro timore ſanavi. Nunc ſi hunc exitum Conſulatus mei Dij immortales eſſe voluerunt, ut vos P. C. populumque Rom. ex cæde miſera, conjuges liberosq; veſtros, virginesq; Veſtales ex acerbiſſima vexatione, templa atq; delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium noſtrum ex fœdisſima flamma, totam Italiam*

liam ex bello & vaſtitate eriperem, quæcunq; mihi uni proponetur fortuna, ſubeatur. Etenim ſi P. Lentulus ſuum nomen, inductus à vatibus, fatale ad perniciem Reip. fore putavit, cur ego non læter, meum conſulatum ad ſalutem Reip. prope fatalem exſtitiſſe? Quare P. C. conſulite vobis, proſpicite patriæ, conſervate vos, conjuges, liberos, fortunasq; veſtras, populi Rom nomen ſalutemq; defendite; mihi parcere atque de me cogitare deſinite

ET IN ORATIONE II. DE LEGE AGRAR. CONTRA RVLLVM

Hæc ego vos concupiſſe, pro veſtra ſtultitia atq; intemperantia, non miror, ſperaſſe me conſule aſſequi poſſe demiror. Nam cum omnium Conſulum gravis in Rep. cuſtodienda cura, ac diligentia debet eſſe, tum eorum maximè, qui non incunabulis, ſed in campo ſunt Conſules facti. Nulli Pop. Rom. pro me Majores mei ſtoponderunt, mihi creditum eſt: à me petere quod debeo, meipſum appellare debetis. Quemadmodum cum petebam, nulli me vobis auctores mei generis commendarunt;

*runt; ſic, ſi quid deliquero, nullæ ſunt imagines, quæ me à vobis deprecentur. Quare, modo ut vita ſuppetat (quamquam ego ſum is, qui eam poſſim ab iſtorum ſcelere inſidijsq́; defendere) polliceor hoc vobis, Quirites, bona fide, remp. vigilanti homini, non timido, diligenti non ignavo, commiſiſtis. Ego is conſul, qui concionem metuam? qui Tribunos pl. perhorreſcã? qui ſæpe & ſine cauſa tumultuer? qui timeam, ne mihi in carcere habitãdum ſit, ſi tribunus pl. duci juſſiſſet? ego nondum veſtris armis armatus, inſignibusq́; ampliſſimis ornatus, imperio, autoritate, non horrui in hunc locum progredi poſſe, vobisq́; actoribus improbitati hominis reſiſtere: nunc verear, ne Reſp. tãtis munita præſidijs, ab iſtis vinci aut opprimi poſſit. Si antea timuiſſem, tamen hac concione hoc populo non vererer.*

*Sed habentur hujus affectus Exempla, in omnibus Exordijs, Benevolentiæ captationem intendentibus; inter quæ nõ poſtremum, poſtremo à nobis allegatæ loco Rul-*

752607



ro Rullianæ, in quo ſequentia inprimis notа.

*Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur, non quod non tales fuerint, quales nos illorū ſanguine creatos disciplinisq; inſtitutos videtis: ſed quod laude populari, atq; honoris veſtri luce caruerunt. De me autē ipſo vereor, ne arrogantis ſit, apud vos dicere, ingrati tacere. Nam & quibus ſtudijs dignitatem hanc conſecutus ſim, memet ipſum commemorare perquam grave eſt, & ſilere de tantis veſtris beneficiis nullo modo poſſum. Quare adhibebitur à me certa ratio, moderatioq; dicēdi, ut quid à vobis acceperim, commemorem: quare dignus veſtro ſummo honore, ſingulariq; judicio ſim, ipſe modicè dicam, ſi neceſſe erit: vos eosdem exiſtimaturos putem, qui judicaviſtis. Me perlongo intervallo propè memoriæ temporumq; noſtrorum, primum hominem novum, conſulem feciſtis: & eum locum, quem nobilitas præſidijs firmatum, atq; omni ratione obvallatum tenebat, me duce reſci-*

*reſcidiſtis, virtutiq́ in poſterum parere voluiſtis, neq́ me tantummodo Conſulem, quod eſt ipſum per ſeſe amplisſimum, ſed ita feciſtis, quomodo pauci nobiles in hac civitate conſules facti ſunt, novus ante me nemo. Nam profecto ſi recordari volueritis de novis hominibus, reperietis eos, qui ſine repulſa Conſules facti ſunt, diuturno labore atq́ aliqua occaſione eſſe factos, cum multis annis poſt petiſſent, quã prætores fuiſſent, aliquanto ſerius, quam per ætatem ac per leges liceret, qui autem anno ſuo petierint, ſine repulſa non eſſe factos: me eſſe unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminiſſe poſſumus, qui Conſulatum petierim, cum primum licitum ſit; conſul factus ſim, cum primum petierim; ut veſter honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienæ petitionis occaſionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, ſed d gnitate impetratus eſſe videatur. Eſt illud amplisſimum quod paulo ante commemoravi, Quirites, quod hoc honore ex novis hominibus primum me, multis poſthabitis, affeciſtis,*

quod

752607



*quod primâ petitione, quod anno meo: ſed tamen magnificentius atq; ornatius eſſe illo nihil poteſt, quod meis comitijs non tabellam vindicem tacitæ libertatis, ſed vocem vivā præ vobis indicem veſtrarū erga me voluntatum ac ſtudiorum tuliſtis. Itaq; me non extrema tribus ſuffragiorū, ſed primi illi veſtri concurſus: neq; ſingulæ voces præconum, ſed una voce univerſus pop. Rom. Conſulem declaravit. Hoc ego tam inſigne, tam ſingulare veſtrum beneficium, Quirites, cum ad animi mei fructum atq; lætititiam duco eſſe permagnum, tum ad curam ſolicitudinemque multò majus.*

## DISPOSITIO XVII.
### CONTINENS

*EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM GRATIAE SVB PERSONA ESTHERAE PRO JVDAEIS AD AHASVERVM INTERCEDENTIS EX cap. 7. libri Eſther.*

EXOR-

EXORDIVM breve ſit ac inſinuatorium, per excuſationem audacis alloquij ad Regem inſtituti, quod tamen non ex temeritate, ſed neceſsitate ſumma ſit inſtitutum. Rationis loco ipſa Judæorū calamitas, quæ per literas regias ijs immineat, breviter in memoriam revocetur è cap. 3. dicti libri: ſicq; ad ipſam

PROPOSITIONEM deveniatur, dicendo, ſe eo fine acceſsiſſe, ut gratiam & clementiorem affectum Regis impetraret.

TRACTATIO nitatur potiſsimum ſequentibus argumentis. I. Deſcribatur CAVSA impetrandæ gratiæ, videlicet ſumma indigentia Judæorum, quam prolixius hoc loco diducas accuratiori enarratione calamitatis Judæorum. Poteris hanc exaggerare per oppoſitionem disparatorum dicendo, eos ſeveriſſimo Regis edicto condemnatos eſſe, non ad perpetuos carceres, non ad ſervitutem, ſed ad mortem ipſam. Hic ulterius malorum omnium extremum Mortem eſſe confirma, partim à Loco com. quod nullum

752607



lum malum ſolertius à ſeſe avertere ſoleant homines, quàm mortem, *addita ratione*, quod ſi alijs malis premantur, ſpes liberationis ſuperſit, aſt morte ſemel oppreſſis, nil ſpei, in hiſce quidem terris reliquum eſſe. *Ea occaſione illud quod hujus affectus proprium eſt, urge*, *videlicet* ad extrema deventum eſſe, adeoque nunc nec unquam alias auxilio locum eſſe, quippe vita defunctis nil concedi poſſe. *Per Apoſtrophen ad Regem convertatur oratio, qui ut hæc conſideret, rogetur, ſicq; commoda digreſſione ad II. Argum. accede, in quo* SVBJECTVM *ſ. Regem ipſum conſidera*, *ejusq; inprimis potentiam deſcribe, quam luculenter ſatis liber Biblicus exponit. Hinc poſtquã eam deſcripſeris, ſicq; oſtenderis, facili negotio auxilium Judæis præſtari à Rege poſſe; vehementius impellendi cauſa L. C. adde, de Regum potentia*, quam nuſpiam felicius impendi *dicas*, quàm auxilio miſerorum. *Exornationis cauſa à contrario eorum Exempla Regum affer*, qui ita potentia ſua glori-

oſiſſi-

oſisſimè ſe uti putant, ſi armis longè lateq; graſſentur, devictarumque gentium regnis,terminos ſuos amplificēt, unde & plurimos hujus conſilij imitatores occurrere *dicas*, *quod quia coram Rege potentisſimo dicitur*, *per conceſſionem ita emolliatur*, magnam etiam hanc felicitatis partem eſſe, adeoq; glorioſius horum Regum imperium eſſe, quam eorum, qui ignavia torpidi domi delitēſcunt: *veruntamen per inverſionem*, adhuc laudatius eorum nomen eſſe,qui non Regum mortalium, ſed Dei ipſius æmulatores, ad hujus Exemplum,qui cum potentisſimus ſit, miſerrimorum tamen ſalutem fidelisſimè curat, agunt. *Hæc poſtquam aliquo modo dilataveris abrumpe per modeſtam excuſationem*, non hæc informandi ſapientisſimiRegis cauſa prolata, ſed potius revocandi in memoriā ſolitam Regis clementiam & æquitatem:*cujus probandæ cauſâ ut alia omittat,ſuum ipſius Exemplum alleget*, quo ipſo animus Regis ſatis innotuerit,nimirum

752607



mirum graviſſimè adverſari faſtui, contra propēſiſſimè ferri in oppreſſos: *quod breviſſima enarratione repudiatæ Vaſti & ſuſceptæ Eſtheræ confirma. Amplificationis loco affectum prius Admirationis move, quo præter omnium ſpem contigiſſe hæc dicas; deinde L.C. de conſtanti virtutum actione, adeoq; facta applicatione,* non aliter hoc loco Regem acturum, quam ſemel clementiæ impulſu agere cæperit, idq; eo magis, quo graviorem miſeriam Judæi experiantur, *quam quia in primo argumento tractaſti, jam in III.* OBJECTVM *ſive Judæos ita conſidera, ut partim eorum innocentiam, partim tenuitatem proponas, unde prioris reſpectu proba,* nil eos deliquiſſe, ſed ſolius Hamanis convicijs delatos in id periculi incidiſſe: *Vnde amplificationis loco egregius L. Com. addatur,* quam non deceat Reges delatoribus, inaudita alterâ parte, fidem habere, quod ipſe ut Rex ſapientiſſimus probè ſciat; *poſterioris reſpectu*, non eas vires *dicas* afflicto & oppreſſo populo, ut

lo, ut quicquam turbarum in ampliſſimo regno ſit moturus, quin Regem, ſi ſolita clementia ipſum ulterius toleraverit, fidiſſimam ſubjectionem atq; conſtantem fidem ejusdem experturum.

*PERORATIO ſubnectatur hac occaſione.* Quæ omnia cum pro ſumma ſapientia Rex longè acuratiùs ſit expeſurus, facilimeq; intellecturus, quanto ſatius ſit clementia & amore regnũ ſtabilire, quàm quidem ſeveritate atq; ira omnia exequi, facilè ſperare ſe, Judæos gratiam regiam ſenſuros, quod ſe iterum humilime petere *dicat.*

## DISPOSITIO XVIII. CONTINENS

*EXEMPLVM SECVNDVM SVB PERSONA TROJANI ORATORIS ILIONAEI PETENTIS, VT GRATIAM HOSPITALFM SVIS EXHIBEAT DIDO. ex lib. 1. AENEID.*

*EXOR-*

EXORDIVM *itidem ſit inſinuatorium, benevolentiam Reginæ captans, à cauſa impulſiva dicendi*, quæ fuerit inhumanitas, qua Trojanos exceperint Carthaginenſes, dum ignibus & aliis hoſtilitatis ſignis eos inſecuti, hoſpitio etiam arenæ prohibuerint. *Amplificetur à ConſequentiTrojanorum conſternatione*, quâ etiam ferè ad deſperationem rerum ſuarum ſint adacti. *Adverſativæ loco* id tamen conſilij redijſſe illis *dicas*, ut, ne quid intentatũ relinquerẽt, Reginam ipſam adeundam, ac ſupplici voce hanc adverſitatem exponendam, gratiam verò regiam exorandam cenſuerint. *Concluſio Exordij cum*

*PROPOSITIONE:* eo fine adeſſe ſe, imprimisque clementiſſimam audiendi patientiam petere.

*TRACTATIO gratiam moveat I. à Deſcriptione OBJECTI ſive Trojanorum qui gratiam petunt. Horum miſeriam facilè ex Virgil. deſcribes, recenſendo, partim excidium patriæ, partim gravisſimos hoc inſequentes errores & periculorum*

*lorum ſuperatorum difficultatem, quibus omnibus hoc ultimum acceſſiſſe dicas,* quod cũ lacera miſereq; disjecta claſſe Italiam peterent, violentisſimo tempeſtatum impetu abrepti in loca hæc ignota ſibi compulſi ſint. *Poteris aliud Trojanorum adjunctum, pietatem videlicet, addere, dicendo:* ita gravisſima fata ijs incubuiſſe, cum Deorũ ſtudio penates Trojanos, Patriæ cineribus ereptos ſecum veherent, ut tutioribus locis redditi, priſtino eos venerari cultu poſſent. *Qua occaſione AEneæ mentionem facias,* qui ſi præſens adeſſet, certius ea demonſtraret. *Sed præter reliqua* & hoc miſeriæ eos urgere *dicas,* ut hinc inde diſpulſis ſubditis, nil de Regis ſalute conſtet. *Exaggerationis cauſa patheticam ad Deos Apoſtrophen inſtitue,* ut hunc modo incolumẽ conſervent, ſic futurum, ut Reginam conſpecto eo, non pœniteat præſtitæ gratiæ. *Per hoc argumentum pasſim inſpergatur L. C. de fatali hominum miſèria,* quæ ut promiſcuè omnibus contingat, ita

752607



ita mutuis auxilijs & conſilijs ſublevandam, cum quibus hodiè benè ſit, leviſſimo intervallo eadem, ſi non graviora mala immineant. *Modeſtè applicentur ad Reginam, dicendo:* quod ſi fortè talia ipſa experta non ſit, pro ſingulari tamen ſapientia, quâ pollere videatur, facilè collecturam. *Sicq; ad II. Arg. Deſcriptionem* SVBJECTI *ſ. Reginæ movendæ, perge, quam conſiderabis reſpectu præſentis inſtituti,* quo Deorum beneficio novam urbē inſtituat, hinc apparere, quàm certò ipſa ſtatuat, neceſſariò mutua præſtanda eſſe auxilia invicem, quod una hæc res fundamentum quaſi videatur condendarum urbium, ut videlicet arctiori vicinia juncti homines, oppreſſorum neceſſitatibꝰ ſublevandis præſtò ſint, quod ægrius fiat, ſi hinc inde diſperſi vagentur. Ergò ut quod tam probè ſciat Regina, opere quoq; ipſo confirmet, afflictiſq; Trojanorum rebꝰ teſtetur æquiſſimum videri. *Aliud Reginæ adjunctum ex Virgilio adde,* quod videlicet ei Jupiter

juſtitia dederit, gentes frænare ſuperbas. *Hic per præteritionem L. C. dicas*, nolle te oſtendere prolixè, quàm ratiſſimum imperiorum præſidium juſtitia ſit, quod Regina ipſa probè, norit, ſed tantū illud hoc loco proponere, quod, cum juſtitiæ munus ſit, ſuum cuique tribuere, non denegatura ſit, quæ una miſeros juvat, gratiam ſuam. *Oblique poteris laudare Reginam*, quod inprimis juſtitiæ laude, qua ſuos regat inclaruerit, hinc non admiſſuram, ut præſenti occaſione ejus laudis famam imminuat. *III. Arg. CAVSAM addat.* quâ facilius impetratum iri gratiam, confidat, huc non hoſtili animo, neque enim tanta ſuperbia victis, ſed extrema neceſſitate compulſos adveniſſe, *quam cum in I. Arg. abunde ſatis deſcripſeris, hic ita tracta, ut cauſam hujus miſeriæ explices, videlicet*, immutabile fatorum decretum, *de quibus poſtquam dixeris*, quomodo *videlicet* reluctari ijsdem nemini liceat, quomodo item paſſim omnibꝰ communia ſint, nec cuiquam con-

752607



conceſſum ſit, hæc ſibi ex arbitrio fingere, ſed prout ingruunt, accipere. *mentionem poteris facere priſtinæ Trojanorum ſortis*, quàm potenter ipſi imperarint, quam fortiſſimis Heroibus illuſtres fuerint, & *alia hujus generis*, quæ tamen omnia fatis ſic volentibus, ita ſint turbata & everſa, ut nec tutus ſuperſit locus, quo claſſem quaſſatam ſubducant. *Quod dum dicis fortius commiſerationem movebis, admixto affectu metus*, dum eadem humanarum rerum vanitas ubique occurrit, neminem hac ſorte exemptum, ſed omnes prout Trojani, fortunæ quoddam ludibrium fieri poſſe. *Per correctionem*

*PERORATIO ſubjungatur*, nolle mala ominari novæ urbis auſpicijs, ſed potius ut felicius rebus Trojanis hæc vigeat, precari; Reginam verò iteratis precibus rogare, ut prohibita hoſtilitate ea advenis gratia fiat, quò tutò, dum claſſem reparent, inſtitutumq;

iter conficiant, ſubducere eandem liceat.

# CAPVT X.

## De MISERICORDIA

Miſericordia eſt dolor ex malis, quæ moleſtiam & interitum afferunt ei, qui indignus tali fortuna eſt, ortus in eo, qui ſe ſuosque ſimile quid pati poſſe putat, maximè ſi imminere jam malum videatur.

Hujus affectus theoria exponit *I. SVBJECTVM* ſ. qui facile miſereantur, huc refer initio in genere eos, qui ſe ſuosque tale quid pati poſſe putant.

*Vnde contra immiſericordes omnino collige partim extremè miſeros, quorum calamitatibus nil addi poteſt, partim dulci fortuna ebrios, qui omni ſortis viciſſitudine ſuperiores ſe putant, hi enim, ut è*

*Morum*

752607



*Morum conſideratione patebit, ſuperbi potius, quàm miſericordes ſunt.*

Deinde in ſpecie 1. eos, qui cum graviſſima paſſi ſint, evaſerunt. 2. Senes multa temporum viciſſitudine exerciti, adeoque plurima experti. 3. Imbelles & timidos, qui quo minus ſibi afflictis auxilio eſſe queunt, eò magis aliorum vicem miſerantur.

*Contra ſe habent, qui fortitudinis affectu, ira vel fortitudine prædìti ſunt. Hi enim, ut ait Ariſtoteles, quid ipſis futuro tempore contingere queat, parum cogitant, ſicq; præſentem aliorum calamitatem negligunt.*

4. Eruditos: conſideratè enim agunt, & emollitis præterea, non feris ſunt moribus. Bonos viros in genere huc refer, qui facilè plorant. 5. Eos qui non ſiniſtre de afflictis judicant, ſed bonos eos, adeoque indignos calamitate cenſent. 6. Qui ſibi ſuisq; tale quid ne contingat, metuunt, præſertim ſi plures, quos impensè ament, habeant.

*II. OBJECTUM* ſive quorum miſereamur. Ii ſunt 1. Familiares, ſed non arctiſſima neceſſitudine juncti

*Nam qui arctisſimè nobis junguntur, ut liberi, conjux, &c. eorum ſortem non miſerabilem, ſed atrocem cum Ariſtotele ſentimus, quæ atrocitas ſæpè tantum abeſt, ut miſericordiam moveat, ut crudelioris vindictæ ſtimulos addat.*

2. quibus, etiamſi nondum ſentiant, proximè tamen imminet atrox malum. 3. ſive conditione, ſive ætate, ſive moribus, ſive quocunque alio modo nobis ſimiles. 4. Quorum miſeriam ex ſignis conſpicimus, vel veſtibus miſerè laceris, membris crudeliter ſauciatis, corpore mutilo &c. Sic & locus ſæpe refricat memoriam miſeriæ. 5. Quorum itidem lachrymas videmus, aut lamenta miſerabilia audimus. 6. qui cum innoxij non tantum, ſed virtute inſuper ſpectatisſima præditi ſint, mala tamen graviſſima patiuntur.

752607



*III. CAVSAM* ob quam miſereamur. Hanc ita proponit Ariſtoteles, ut eò referat partim ea, quæ per naturā vim perdendi habent, ut ſunt, cruciatus, morbi & pericula vitæ ipſi adverſa: partim ea, quæ per fortunam adverſa eveniunt, ut ſunt ſpoliatio amicorum, calumniæ præter meritum, inſperata injuria & alia ejusmodi, quæ generatim in deſcriptione, vocibus interitus & moleſtiæ, erat complexus.

II. Artificium movendi hujus affectus ita ſe habet.

I. Omnis illa miſeria, cujus ſenſu alios ad miſerationem movere volumus, accurata hypotypoſi proponenda, ut quaſi oculis uſurpari queat, quo fine & imagines & veſtes miſeriæ teſtes, oculis ab Oratoribus ſubjectas legimus. Horum namq; ſenſus uti acerrimus eſt, ita validiſſimè irritant animos, quæ oculis ſubjiciuntur.

*Vbi tamen videndum eſt, ne nimio apparatu frigeat deſcriptio, & affectata oratio*

*oratio affectum extinguat magis, quàm incendat: quo nomine & maximè, ſi ulbi, in hoc affectu turgida affectatio & inſolentia verborum fugienda.*

Ad has hypotypoſes deſcriptionẽ quoque objecti refer, ut ejus virtus, adeoque innocenter & præter meritum pati, probetur.

II. Amplificationem hujus affectus ſuppeditabunt varia adjuncta, Perſonarum, Locorum, Temporum, Finis, Modi, quæ prolixius explicat c. 41. lib. 8. Cauſinus. Quorum tamen ſumma huc redit, è ſingulis videndum, quomodo exaggerari miſeria poſſit, ſi indebito loco, Tempore, Modo & ſimiliter patiatur quis.

III. Interdum ad exaggerandã miſeriam antecedentis felicitatis deſcriptio, & ſic per comparationem diſſimilium inſtituitur oratio, *quod Rhetores vocant, contentionem fortunarum.*

IV. Multum quoque efficax ratio movendi hujus affectus per Proſopopœias, ſ. ut Cauſinus vocat, ſermocina-

cina-

752607



cinationes, quibus miſerorum voces & orationes introducimus

V. Egregia iſta monita, quæ ſubjuugit Cauſinus libr. citato c. ultim. de hoc movẽdo affectu notentur: ut; quod videndum, cum quo agas, & ubi hunc affectum moveas in forône an in loco ſacro: deinde tectè agendum oratori, ne videatur velle ciere lachrymas: tum ne ſubito impetu ad movendum hunc affectum prorumpat, ſed ut aditu receſſuque decoro utatur, quorum iſte rem dignam miſeratione oſtendat, hic verò paulatim in alium ſermonem cũ aptâ digreſſiunculâ pergat: neq; diutiꝰ immoretur huic affectui movendo, ne faſtidium ſuboriatur Auditori, cùm nil citiùs areſcat, quàm lachrymula. Porro ubi per ſe res tragicæ ſunt & miſerabiles, non temerè aſcitis rebus exaggerentur, ne penuria & ſterilitate argumentorum laborare videamur.

*Quæ quidem eò ſolertius inculcantur circa hunc affectum; quò major triumphus Oratoris ex motione hujus affe-*

*ctus oritur, juxta illud:* Lachrymæ Auditorum, laudes oratorum.

*AFFECTVS HVJVS EXEMPLVM ILLVSTRE EST IN ORATIONE CICERONIS PRO MVRENA SVB FINEM:*

*Si (quod Jupiter omen avertat!) hunc veſtris ſententijs afflixeritis, quo ſe miſer vertet? domum ne? ut eam imaginem clariſſimi viri, parentis ſui, quam paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia, lugentemq; videat? an ad matrem? quæ miſera modo Conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur & ſolicita eſt ne eundem paulo poſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat? Sed quid ego matrem aut domum appello? quem nova pœna legis & domo, & parente, & omnium ſuorum conſvetudine conſpectuque privat. Ibit igitur in exilium miſer? quo? ad orientisne partes, in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas geſſit? at habet magnum dolorem, unde cum honore deceſ-*

*ſerit*

752607



*ſerit, eodem cum ignominia reverti. An ſe in contrariam partem terrarum abdet? ut Gallia transalpina, quem nuper ſummo cum imperio libentiſſimè viderit, eundem lugentem, mœrentem, exulem videat. In ea porro provincia, quo animo C.Murenam fratrem ſuum adſpiciet? qui hujus dolor? qui illius mœror erit? quæ utriusq; lamentatio? quanta autem perturbatio fortunæ atq; ſermonis? quod quibus in locis, paucis ante diebus, factum eſſe Conſulem Murenam nuntij literæque celebraſſent, & unde hoſpites atq; amici gratulatum Romam concurrerint, repente eo accedat, ipſe nuntius ſuæ calamitatis? Quæ ſi acerba, ſi miſera, ſi luctuoſa ſunt, ſi alieniſſima à manſuetudine, & miſericordia veſtra, Judices: conſervate populi Rom. beneficium: reddite Reip. conſulem: date hoc ipſius pudori, date patri mortuo, date generi, & familiæ, date etiã Lanuvio municipio honeſtiſſimo, quod in hac cauſa frequens, mœſtumq; vidiſtis: nolite à ſacris patrijs Junonis Soſpitæ, cui omnes Conſules facere neceſſe eſt, dome-*

*ſticum & ſuum conſulem potiſſimum avellere. Quem ego vobis, ſi quid habet aut momenti commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea, Conſul conſulem, Jud. ita commendo, ut cupidisſimum otij, ſtudioſiſſimum bonorum, acerrimum contra ſeditionem, fortisſimum in bello, inimicisſimum huic conjurationi, quæ nunc Remp. labefactat, futurum eſſe promittam & ſpondeam.*

Et VII. VERRINA:

*Rem in medio ponam; quæ tantum habet ipſa gravitatis, ut neq; meæ, quæ nulla eſt, neq; cujusquam, ad inflammandos veſtros animos eloquentia requiratur.*

Et paulo poſt:

*Cædebatur virgis in medio foro Meſſanæ civis Romanus, Judices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia iſtius miſeri inter dolorem, crepitumq; plagarum audiebatur, niſi hæc, Civis Romanus ſum. Hac ſe commemoratione civitatis omnia verbera depulſurum, cruciatumq; à corpore dejecturum arbitrabatur. Is non*

*modo*

752607



*modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur: ſed cum imploraret ſæpius uſurparetq́; nomen civitatis, crux, crux, inquam, infelici & ærumnoſo, qui nunquam iſtam poteſtatem viderat, comparabatur. O nomen dulce libertatis! ô jus eximium noſtræ civitatis! ô lex Porcia, legesq́; Semproniæ! o graviter deſiderata, & aliquando reddita plebi Rom. tribunitia poteſtas!*

## DISPOSITIO XIX.

### PROPONENS

### *EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM MISERICORDIAE IN VXORE JOBI ERGA AFFLICTVM MARITVM.*

E*XORDIVM deſumatur ab hominum natura,* cui inter alia & hoc tribuit Deus, ut condolere aliorum infortuniis poſſit. *Amplif. à contraria quorundam in-*

*dam indole*, qui non modo non dolent, ſed gaudent aliorum malis ſæpè. *Breviter reprehendatur horum malitia*, quod eo ipſo ab hominum natura recedant, & infernali dæmoni ſimiles fiant, qui & ipſe hominum malis delectatur. *Fiat applificatio per hypotheſin cum*

*PROPOSITIONE*, quæ ſi exactius cogites, conſtare, quàm peſſimè agat Jobi uxor, dum ejus adverſitatibus inſultat, quem miſericordia jure merito proſequi debeat.

*TRACTATIO confirmet hoc I. à Diſcriptione JOBI, cujus virtutes & pietatem in genere primò, ex hiſtoria ejusdem recita: deinde exaggera easdem in ſpecie, per deſcriptionem ſingularum virtutum ab objectis & effectis, ut* quod pietate Deo firmiter adhæſerit, ejusque cultum ſtrenuè promoverit; quod juſtitiâ bonos à malis defenderit, nemini ſuum rapuerit; quod liberalitate egenis ſuccurrerit; quod patientia graviſſimas adverſitates fortiter toleraverit. &c.

752607



*&c.* atq; ſic omnium amorem & favorem meritus videatur. *Per complexionem dicas:* hunc unum fuiſſe illuſtriſſimarum virtutum ſpeculum, ſanctiſſimum ſacrarium. *Provocetur per Apoſtrophen ad uxoris ipſius teſtimonium,* quod horum omnium conſcia ſit, ac domeſtica quædam teſtis, quam innocenter vitam tranſegerit, adeoque has calamitates, potius ex occulto Dei judicio, quam notoriâ criminum culpâ, patiatur. *Amplif. loco confirmetur hoc ex L.C. de mirandis Dei viis,* quibus ſuos ducere quandoque ſoleat. *Exornationis cauſa deſcribantur hæ per Allegorias à naturalibus vijs deſumptas, inſtituta oppoſitione contrariorum hoc fortè modo:* Cum mali roſis, & quibuscunque floribus ſtratam vitij viam eunt, boni ſæpe ſentibus atque ſpinis obſitam terere coguntur: cum illi amœniſſima planitie ducuntur, his prærupta præcipitia montium proijciuntur; cum illorum vijs cœlum undiq; arrideat & blandiatur, hos nubila atq; horridi

ridi fulminum ictus turbant; cum illi placidisſimo mari, inter benignos ventorum flatus feruntur, hi decumanis fluctibus exerciti, inſanienti Pelago jactantur, quorum omnium cauſam ſi inquiras, ſecretiſſima omnia deprehendis, nec quicquam ferè aliud occurrit, niſi omnipotentiæ divinæ regimen, quod ut omnes revereantur, hisce & alijs Exemplis jubet Deus, contemptoribus verò pœnæ rigorem indicit. *Hæc iterum per Apoſtrophen ad uxorem applicentur, admoneaturq; ea*, ut hæc probè penſitet, potiusq; divinæ vindictæ ferulam ſubmiſſe deprecetur, quam miſero marito pietatem inter inſultus exprobret. *Brevis adhuc ſubijciatur amplificatio a minori ad majus.* Si ſontium ſupplicia non niſi triſti oculo, & dolenti animo aſpicere decet hominem, quantò magis tantam viri ſancti & optima meriti calamitatem. *II. A Deſcriptione MALORVM, quæ patiebatur Jobus. Hic per diſtributionem omnia ea mala, quæ afflixerant Jobum ex ejus* hiſto-

752607



*hiſtoria recenſeas, ita tamen ut gradatim à minoribus ad majora aſcendas. Hinc primo jacturam fortunarum exaggera, à contrario paupertatis malo,* quæ cum omnibus oneroſa ſit, tum illis longè oneroſiſſima, qui cum antea in lautiſſima fortuna conſtituti fuerint, ſubito bonis omnibus exuuntur, ut ne vitæ protrahendæ ſubſidia ſuperſint. *Quâ occaſione breviter de eo uſu fortunarum dicas, qui neceſſariam vitæ conſervationem concernit. Deinde majus malum ſubjice, liberorum orbitatem, quod priori majꝰ malum demonſtrabis, tum à* tenerrimo illo, quo natura ipſa liberos, parentesque devincit amore, brutis etiã per naturam hujus rei teſtibus, *tum ab utilitate, quam à liberis parentes habent,* quod *videlicet* fulcra quædam ſint, & præſidia vitæ parentum, quorum fidisſimo miniſterio feliciter res ſuas curẽt parentes, quibus dum deſtitutus ſit Jobus, *novam miſeriæ exaggerationem propone, ita tamen ut tertio loco omnium maximum addas malum, corporis videl.*

*afflict;*

*afflicti dolores*, quibus obrutus cum nil ſolatiis à ſuis experiri poſſit, nec ipſe ſibi adjumento eſſe queat. *Amplificetur hæc triplex malorum claſſis, partim à communi dicterio, quo* nulla calamitas ſola *dici ſolet, ejusq; vim maximè in Jobo confirmari; partim à ſpecialib9 conſequentibus hujus miſeriæ, oſtendendo, quam* omnis auxilij & ſolatij ſpes præciſa ſit, dum & pauperrimus, cujus ſortis nulli ſint amici vel pauci, fortunam plerumq; ſequentibus amicis; & quorum auxilio levare potuiſſet calamitatem, liberis orb9; & corpore æger, hincque ſui impos, alienam opem implorare prohibeatur. *Poteris in hisce trib9 conſequentibus tractandis, per contrarium oſtendere*, quantò levior aliorum calamitas ſit, qui unico ſaltem ex ijs medijs inſtructi ſunt, quibus conjunctim omnibus caret Jobus. *Tandem Apoſtrophe ad uxorem inſtituatur, dicendo:* in una hac ipſa omne ſolatium Jobo ſupereſſe, quippe quæ ſanctiſſimo conjugij fœdere ipſi conjuncta ſit, *de cujus*

752607



*cujus ſanctiſſima neceſſitudine, præſertim in mutuis adverſitatum ſublevationibus pauca adde, adverſus quam graviſſimè uxorem peccare dicas. Hinc iterum brevi admonitione ad meliorem mentem revoca,* ut officij memor alio erga maritum affectu appareat.

*PERORATIO continuatione hujus admonitionis conſtet, additis nonnullis ſtimulis, partim à viciſſitudine miſeriæ humanæ, cui omnes ex æquo ſubjecti ſumus, partim à metu divinæ erga immiſericordes vindictæ deſumptis.*

## DISPOSITIO XX.

### CONTINENS

*EXEMPLVM SECVNDVM MOVENDI AFFECTVM MISERICORDIAE ERGA JVDAEOS, CVM CALIGVLA PROFANARE TEMPLVM IPSORVM CONSTITVISSET: SVB PERSONA AGRIPPAE*

*PAE PRO JVDAEIS INTERCEDENTIS.*

*Deſumptum thema partim ex Agrippæ ad Caligulam literis, partim ex oratione Judæorum ad Petronium Syriæ præfectum ſupplici, prout deſcribitur à Philone lib. de legatione ad Cajum.*

E*XORDIVM inſinuatorium ſit, deſumptum à ſummo Caligulæ erga Agrippam affectu*, quem prout toties expertus ſit, ita jam quoque certò ſibi polliceatur. *Rationis loco occupatio ſuccedat*, quod diu quidem hæſitaverit, an odioſiſſimo hoc negotio moleſtus eſſet Imperatori, tandem tamen fiducia à dicta clementia exorta, ſuperatum metum, ipſum verò ad proponendam rem ſtimulatum eſſe. *Addatur alia ratio, quâ motus hanc provinciam ſuſceperit, quæ eſt amor erga Populares Judæos, & patriam civitatem Hieroſolymitanam. Digreſſio ad*

*PRO-*

752607



*PROPOSITIONEM:* Nullo modo de clementiſſima attentione,ſed & ea animi inflexione qua ab odio contra Judæos revocatus, afflictiſſimæ undique gentis ſit miſerturus dubitari, innuat.

*TRACTATIO* 1. *brevisſimè explicet* FVNDAMENTVM MISERICORDIAE, *quæ hoc loco nulla re alia conſtet, niſi conſervatione antiquisſimarum gentis Judaicæ legum, & prohibenda ſacrorum innovatione. Amplificetur per oppoſitionem Contrariorum,prout ea innuit Philo,* quod non petant Romanam civitatem, non libertatem, aut immunitatem, non dilatationem finium, ſed rituum ſuorum ulteriorem permiſſionem, ex quo, cum nihil Imperatori decedat, ipſis maximus fructus accreſcat. *Amplif.loco eum L. C. tracta,qui* ſummam Regum, Imperatorum clementiam *proponit*, etiam eorum conceſſione declaratam, quæ & magni cõſtant, & citra damnum aut jacturam, vix concedantur. *Hinc à Majori ad*

*minus*

*minus procede*: ſi talia nō denegata ſunt, quanto minus hoc beneficium. *II. Deſcribat OBJECTVM; videlicet Judæos; in ijs inprimis duo adjuncta conſidera. I. Summam erga Imperatorem fidem*, quá non modo ſub primum Imperatoris regimen præ omnibus clarisſimè teſtati ſint Judæi, dum primi omnium gratulati ſunt imperio, victimis etiam pro diuturna ejus felicitate immolatis; dehinc etiam lætisſimam ejus rei famam ad finitimas provincias propagarint: ſed & in devotisſima hac veneratione conſtantisſimè perſeverent, non modo ſuppellectilis pretioſisſimæ & poſſesſionum omnium cesſione, ſed corporū ipſorum & vitæ pro Imperatoris ſalute facta oblatione. *2. Summam ipſorum miſeriam, quam ſubinde per præfectorum tyrannidem hucusq; perpesſi ſint, quam prolixe recenſet Philo lib. prius allegato. Ampl. per occupationem*, quod ea omnia non ſuo merito aut ſua culpa patiantur, cum non obſtinatæ ejus rebellionis, cujus accuſent eos delatores rei

ſint,

752607



ſint, quòd contrarium & vita eorum, & ſermo clariſſimè probet, *quod iterum ex ea oratione, quam ad Petronium habuiſſe Judæos Philo refert, demonſtra, cujus initum eſt:* Inermes, ut vides, adſumus, ne quis nos dicat venire hoſtiliter, manus autem pro armis à natura datas retroflexiimus otioſas, præbemus & corpora adverſos ictus ferire volentibus, uxores & liberos, familiasque adduximus, ſupplices tibi & pro te Cajo advolvimur, domi relicto numine, orantes ut aut omnes ſervetis, aut omnes internecione deleatis. Sumus Petroni & natura pacis cupidi & ſtudio, ad quam nos trahit cura liberorum alendorum ex noſtris laboribus. *Hinc per Apoſtrophen convertatur oratio ad Caligulam, addita communicatione:* quænam in hac humilitate culpa? Quænam in tanto tranquillitatis ſtudio rebellionis ſpecies appareat? dum armorum loco precibus inſtructi adſint, quibus ſi forte animum Imperatoris expugnare, finemque malorum impetrare queant, unicè conentur. *Vlterius amplif. hoc ſecundum Membrum à L. Com. de officio*

Magi-

*Magiſtratus, & inprimis ſumma Romani Magiſtratus virtute*, quæ uti ſuperbos debellare, ita ſemper ſubjectis parcere ſolita ſit, *quod inprimis apud Caligulam Romanum urgeas*, idque eò magis ipſum decere, quò conſtantiorem devotionem Judæi, inter exquiſitiſſima etiam mala, quibus aliæ gentes diu fortè ad rebellionem provocatæ eſſent, oſtendant. *Illuſtrationis cauſa poteris illud etiam addere*; quantus honor Imperatori futurus ſit, *conſtans Romanæ manſvetudinis & virtutis æmulatio. Eaque occaſione ad III. Membrum perge, quod proponat SVBJECTVM, quod movendum, eſtq; hoc loco Caligula, quem cum Romanum jam antea dixeris*, non modo hinc certam impetrandæ clementiæ ſpem Judæis exortam, ſed & hinc, quod ex eorum ſangvine prognatus ſit, qui clementiſſimo affectu Judæos ſemper complexi ſint. *Recenſe eos ex Philone, qui primò recenſet* Agrippam Avum Caligulæ maternum, qui non modo civitatem Hieroſolymitanam

adiji,

752607



adijt, templum in eoq; ſacros apparatus & ſacrificiorum ordinem laudavit, ſed & templum donis honoravit, civibusq;, quantum potuit, victigalia indulſit. *Deinde* alterum Caligulæ avum Tiberium Cæſarem, qui & antiquiſſimam templi religionem incolumem inviolatamque modis omnibus ſervavit, & Pilatum Judææ Procuratorem, cum, præter alia duriꝰ populo inflicta, auratorum quorũdam clypeorum dedicatione, temerare Judæorum ritus conaretur, valdè objurgavit, literisq; ut ſine mora clypeos illos tolleret, juſſit. *Porro* Proavum Auguſtum, qui Judæorum Synagogas ſpecialibus privilegijs confirmavit, &, ne quis illis impedimento eſſet, edixit, tandem etiam teſtaturus, piiſſimè ſe erga templum affectum eſſe, juſſit è ſuis ipſius reditibus quotidiè victimas offerri altisſimo Deo, Taurum videlicet & agnos duos. *Tandem &* conjugem Auguſti proaviam Caligulæ, quæ aureis Phialis & calicibus, & alijs donis pluribus & pre-

tioſiſſimis templum ornavit. *Ex hiſce omnibus obliquè argumentare ab AEquo videlicet*, ſimilem affectũ Judæis quoque Caligulam teſtaturum, quippe qui non modo eodem ſangvine ortus, ſed & eadem potentiâ, eodemq; imperandi honore potiatur, hincque eadem clementia quoque aſſervandum ab eodem eſſe templo honorem, quem tot modis majores confirmaverint. *Amplificetur à L. C. notiſſimo*, majorum virtutem à poſteris eſſe illuſtrandam. *Per abruptionem dicas*, jam ſubortam videri eam in Imperatore opinionem, qua eodem cum majoribus affectu res Judæorum curare velit, hincque & certius Judæorum, ſpem confirmatam, quâ quem eodem cum majoribus ſubmiſſionis cultu venerentur, ab eo etiam eandem miſericordiam & clementiam ſibi polliceantur.

*PERORATIO apertis precibus idem adhuc roget, paremq; ut antea fidem promittat, ſicq; voto pro Imperatoris proſperitate facto, claudat.*

CAPUT

752607



# CAPVT XI.

## De INDIGNATIONE

Indignationem, *quam oppoſitorum ratione proximè ſubjungit Miſericordiæ Philoſophus, ita deſcribere licebit*, quod ſit dolor ex bonis, quæ felicitatẽ atque commodum ei, qui minimè dignus ijsdem videtur, concedunt.

In hujus affectus conſideratione præcedit Theoria, quæ proponit *I. SVBJECTVM ſ.* eos, qui facile indignantur, quorum quadruplicem facit Ariſtoteles claſſem I. eorum, qui virtute ſua digniſſimi iis, quæ conſecuti ſunt, bonis videntur: neq; enim diſſimiles ſimili felicitate dignos judicant. 2. qui boni & virtute ſpectatiſſimâ præditi ſunt, hi enim, quacunque fortuna utantur, ſequiorum felicitate moventur. 3. Qui honoribus ijs, quibus indigni ornantur, utut ambiant

maximè, potiri nequeunt. 4. Qui quocunque modo dignos ſe, præter cæteros, optimis atque ſummis arbitrantur.

*II. OBJECTUM* ſ. Quibus indignari ſoleamus, ſuntq; triplicis ordinis 1. Homines novi, aut qui nuper admo- quòd felicitatis facti ſunt participes, quòd id fortuna aut caſu contigiſſe videatur; cum contra confirmata felicitas, antiquitatis autoritate, quæ, juxta Philoſophum, proximè ad naturam accedit, indignationem ſuperaverit. 2. Indigni ſuâ fortunâ, cum nulla inter hanc & illos analogia appareat. 3. Qui inferiores cum ſint, concertare tamen adverſus potentiores non verentur.

*III. CAUSAM*, quæ facilè ex dictis apparet, nulla alia, quam felicitas indignis & immerentibus conceſſa.

Praxin hujus affectus quod attinet, cum mixtus ex odio & ira videatur, omnis quoque ejus rei ratio inde peten-

752607



petenda eſt, adeoq; accuratâ deſcriptione ſubjecti objectique ſtimuli, quibus indignabundum animum impellas, acuendi.

Inprimis ad exaggerandum hunc affectum facit comparatio abjectiſſimæ ejus, quâ paulò ante propoſitum objectum premebatur, fortunæ, cum præſenti ad quam indignè evectum eſt, quam ſi exclamationibus, queſtibusq; indignabundis incitaveris, feliciter proijciendis nobiliſſimis generoſæ hujus iracundiæ aculeis proficies. Hoc affectu Satyræ inprimis conſtant.

*HVJVS AFFECTVS EXEMPLVM HABES IN CICERONIS ORATIONE PRO S. ROSCIO AMERINO:*

*Interea iſte T. Roſcius vir optimus, procurator Chryſogoni, Ameriam venit, in prædia hujus invadit, hunc miſerum luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri jura ſolviſſet, nudum ejicit domo atq; focis patriis, diiſq; penatibus, præcipitem, Jud. exturbat: ipſe ampliſ-*

*ſimæ pecuniæ fit dominus. Qui in ſua re fuiſſet egentisſimus, erat (ut fit) inſolens in aliena. Multa palam domum ſuam auferebat, plura etiam de medio removebat, reliqua conſtituta auctione vendebat. Quod Amerinis usq; eo viſum eſt indignum, ut urbe tota fletus gemitusq; fieret. Etenim multa ſimul ante oculos verſabantur, mors hominis florentisſimi Sext. Roſcij crudeliſſima: filij a. ejus egeſtas indigniſſima, cui de tanto patrimonio, prædo iſte nefarius ne iter quidem ad ſepulchrum patrium reliquiſſet: bonorum emptio, flagitioſa poſſeſſio, furta, rapinæ, donationes: Nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quàm videre, in Sext. Roſcij viri optimi atq; honeſtisſimi bonis, jactantem ſe ac dominantem Tit. Roſcium.*

*Et VI. VERRINA:*

*Conferte Verrem, non ut hominem cum homine comparetis, neque tali viro mortuo fiat injuria, ſed ut pacem cum bello, leges cum vi, forum & jurisdictionem cum ferro & armis, adventum &*

comita-

752607



comitatum cum Exercitu & victoria conferatis. AEdes Minervæ eſt in Inſula, de qua ante dixi, quam Marcellus non attigit, quam plenam atq; ornatam reliquit, quæ ab iſto ſic ſpoliata atq; direpta eſt, non ut ab hoſte aliquo, qui tamen in bello religionum & conſvetudinis jura retineret, ſed ut à barbaris prædonibus vexata eſſe videatur. Pugna erat equeſtris Agathoclis regis, in tabulis picta præclarè, his autem tabulis interiores templi parietes veſtiebantur. nihil erat ea pictura nobilius, nihil Syracuſis, quod magis viſendum putaretur. Has tabulas M. Marcellus, cum omnia illa victoria ſua profana feciſſet, tamen religione impeditus non attigit. iſte, cum illa jam propter diuturnam pacem, fidelitatemq; pop. Syracuſan. ſacra religioſaq; accepiſſet, omnes eas tabulas abſtulit, parietes, quorum ornatus tot ſecula manſerat, tot bella effugerat, nudos ac deformatos reliquit. Et Marcellus, qui, ſi Syracuſas cepiſſet, duo templa ſe Romæ dedicaturū voverat, id quod erat ædificaturus: his rebus ornare, quas

*ceperat, noluit: Verres, qui non Honori, neq; virtuti, ut ille, ſed Veneri & Cupidini vota deberet, is Minervæ templum ſpoliare conatus eſt, ille Deos deorum ſpolijs ornare noluit: hic ornamenta Minervæ virginis, in meretriciam domum transtulit.*

*Et VATINIANA:*

*Quod ſi ipſe, qui te ſuæ dignitatis augendæ cauſa, periculo tuo nullo, ſuo delicto ferri præcipitem eſt facilè paſſus, tamen te omni horore indignisſimum judicat. Si te vicini, ſi affines, tribules ita oderunt, ut repulſam tuam, triumphum ſuum duxerint, ſi nemo aſpicit, quin ingemiſcat, nemo mentionem facit, quin exſecretur, ſi vitant, fugiunt, audire de te nolunt, cum viderunt, tanquam auſpicium malum deſtatur, ſi cognati reſpuunt, tribules execrãtur, vicini metuunt, affines erubeſcunt, ſi ſtrumæ deniq; ab ore improbo demigrarunt, & alijs jam ſe locis collocarunt: ſi &, odium publicum, populi, Senatus, univerſorum hominum: quid eſt, quam ob rem præturam potius exoptes,*

752607



*exoptes, quàm mortem? præſertim cum popularem te velis eſſe, neq; ulla in re populo gratius facere poſſis.*

# DISPOSITIO XXI.

## PROPONENS

## *EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM INDIGNATIONIS IN DAVIDE, ADVERSVS DOEGVM SERVVM SAVLIS, QVI CAEDE SACERDOTVM SVMMAM REGIS CLEMENTIAM OBTINEBAT.*

*EXORDIVM breve ſit & abruptum per interrogationem potiſſimum exornatum, conquerens de communi mundi viciſſitudine, quâ ſæpe peſſimis maxima præmia, optimis graviſſima ſupplicia contingunt, hoc forte modo:* Itane ergò ſtabilis manet mundi perverſitas? Itane pergit cœco impetu honoribus obruere indignos, infortunio mactare virtutem? *Rationis loco Amplificatio ad-*

*datur à cauſa Efficiente hujus Iniquitatis, per remotionem falſæ & poſitionem veræ cauſæ,* quod *videlicet* profana gentilitas hanc rem fortunæ tribuerit, quam ideò cœcam finxerit, quod tam temerariè bona ſua diſtribueret, aſt veriorem cauſam *dicas* hominū malitiam, qui vitiorum libidine cæci nec volunt, nec poſſunt perſpicere virtutis ſublimitatem, ut debitô eam præmio venerentur, ſed prout quisque libidini eorum magis gratificatur; ita eum maximo cultu proſequuntur. *Transferatur theſis ad hypotheſin, jubeanturque omnes,* qui de hoc dubitant, intueri Saulem & Doëgum, qui cum execrando ſcelere infamis ſit factus, ſumma gratiâ à Rege afficitur, novoque ſcelerum patrocinio ad majora perpetranda animatur.

*PROPOSITIO per communicationem ſubjungatur.* Tantam rei indignitatem quis videns, juſto dolore accenſus non indignetur?

TRACTA-

752607



*TRACTATIO VNICVM PRIMARIVM habeat ARGVMENTVM, varijs Amplificationibus illuſtratum, ſitq; deſumptum ab INIQVO, hoc itaq; demonſtretur. 1. ab ADJVNCTIS Doëgi, quem deſcribes ex varijs qualitatib9, quæ indignum ipſum hac fortuna oſtendant, ut quod* viliſſima ſorte natus ſit, quod ſervilis inter regios miniſtros ſit conditionis, quod natione non ex genuino Iſraelis ſangvine ſit ortus, adeoque ſi clariſſimum facinus edidiſſet, minori tamen gratia à Rege fuiſſet fovendus. *Amplificationis loco adhibeatur Loc. Com. quam* neceſſarium ſit providere Regibus, ne ſervos in intimam familiaritatem admittant; cum namq; ſemper, tum maximè in regia fortuna familiaritas parit contemptum, aſt ubi hic cœpit, quam impotens eſt dominatus? *Alia Amplificatio addatur per occupationem:* Non te hæc ea mente dicere, quaſi virtus non ubiq; debito præmio ſit ornanda, ſed ne nimio honore plebejæ animæ ornatæ, impares ſint eidem de-

dem defendendo, & ſic tenuitate virium maculent nimium ſplendorem, non abſque concedentis dedecore: aut ne effræni potẽtia, quæ ex inſolito honore naſcitur, ad luxuriam abutantur. *Concludatur hoc membrum per complexionem hoc modo:* quæ cum ita ſint, quis non videt, quàm indignum ſit ſervilia capita, extra omnem virtutis ſpeciem ſummis honoribus affici, cum & ſumma eorundem virtus non niſi modicis præmiis ornanda. *II. Demonſtretur iniquitas ab EFFECTIS Döegi, quib9 eam clementiam promeritus ſit. Connexio cum ſuperioribus talis eſſe poterit:* Sed jam age ad Doegum veniamus, & quibus virtutibus tantam clementiam provocarit, videamus: *recenſeantur hic per diſtributionẽ effecta quarundam virtutum, quas per dubitationem Doëgo tribuas hoc modo:* Num ergo vel ſapientiſſimis conſilijs ſolium Regis aſſeruit? num ſingulari fortitudine hoſtium arma repulit? Num præſentiſſimis periculis pro patriæ ſalute ſe expoſuit

aman-

amantiſſimus Reipubl. *Subijciatur reſponſio per Exclamationem*, quod nihil tale fuerit in depravatâ mente. *Amplificetur per ſimilia:* quid enim virtutis à tanta ferocia ſpectes, vel an roſarum fragantia inter vaſta ſylveſtrium paludum ſenticeta naſcitur? & ſic obrutus hic vitiorum ſentibus animus, virtutum fragrantia, ſcilicet, erat amœnus. *Ergo ad veram cauſam regiæ clementiæ venias, exponasq; crudele illud Doëgi facinus*, à quo, cum omnes abhorrerent, hic tam exactæ malitiæ nequam triumphare criminibus volebat. *Exaggeretur hoc per aliquot circumſtantias, adhibita ironia:* Illa ſcilicet maſcula virtus ſævire in inermes valebat: ea mentis fortitudo, quâ tot ſanctiſſimorum virorum lamenta ac ſupplices ejulatus immotus audijt: eæ deliciæ uno ictu tot cervicum cæſarum profluentem ſangvinē læto videre oculo, *quæ omnia per Apoſtrophen proponantur bonis mentibus, & judicium earum ſuper hac re petatur, ſubjectâ breviſſimâ deploratione*

*tempo-*

*temporis, quo probitas opprimitur, malitia honoratur. III. Demonſtretur iniquitas ab OPPOSITO, quo Davidis exilium & varias in eodem miſerias refer, quarũ omnium cauſa, Doëgi proditio fuit. Pro exaggerando hoc membro deſcribatur David ex adjunctis & effectis*, ut quod gener Saulis *ſit*, quod ſubjectiſſimâ obedientia regem colat, quod ſummis teſtibus fidem ſuam confirmarit, dum pro Regis regnique ſalute duellum illud periculoſisſimum & fortiter ſuſcepit & feliciter peregit; Hiſce tamen omnibus ſusq; deq; habitis, indigniſſimo poſtponi ac extremo infortunio opprimi.

*PERORATIO per Apoſtrophen inſtituatur ad quoscunq; virtuti deditos homines, iique, ut re probe ponderata, num quidquã juſta irâ dignius occurrere posſit, decernant, admoneantur, cum brevi adhortatione, ut conſtanti virtute perſequi Doëgum, injuriamq; Davidi illatam vindicare pergant.*

DISPO-

752607



# DISPOSITIO XXII.
## CONTINENS

## *EXEMPLVM SECVNDVM MOVENDI AFFECTVM INDIGNATIONIS IN AJACE, CVM INTER IPSVM ET VLYSSEM CONTROVERSIA ESSET EXORTA SVPER ARMIS ACHILLIS*
## *ex lib. 13. Met. Ovidij fab. 1.*

E*XORDIVM deducatur à loci circumſtantia, in quo hæc controverſia agitata eſt, qui ille fuit, in quo paulo antè fortisſimè pugnarat Ajax, eo quidem ſucceſſu, ut ejus virtute univerſa Græcorum claſsis, ab incendio & impetu hoſtili defenderetur. Poterit autem omne hoc Exordium, eodem modo, quo antecedentis orationis exornari, dicendo*: Nunc demum ingratiſſimum ſibi eum eſſe locum, qui ſummæ gloriæ cauſa paulo ante fuerit, *addita ratione à conſequenti,* quod

*ti*, quod Græci tam citò obliti virtutis ipſius fuerint, ut conferre ipſum cum Vlyſſe non dubitent. *Aliquot indignabundis ſententiis hæc exaggerentur, quibus optes*, ùt nunquam eum in locum delatus fueris, ſi, unde maxima honorum præmia ſperaveris, inde contemptus tibi enaſcatur. *Concluſio Exordij cum implicita*

*PROPOSITIONE*, neque immeritò hanc tibi indignationem ſuboriri, quin omnes idem ſenſuros, qui indignitatem hujus collationis accuratius expenderint.

*TRACTATIO rem ipſam exponat dicendo:* Confertur ergò cum Ajace Vlyſſes, nec quiſquam quam indignè id fiat, decernit. *Sequantur argumenta, quorum* 1. *Per Præteritionem tractetur, quaſi nolis illud fuſius deducere. Deſumatur autem à GENERE ET MAJORIBVS Vlyſſis*, qui cum fuerit Siſyphus latrocinijs infamis, tum etiam Anticleam Matrem Vlyſſis ſtupraverit, *hinc illuſtre genus Vlyſſis deriva, perſiſtẽs*

752607



*in ea præteritione L. Com. obliquè amplif. cauſa adhibe, dicendo:* Non quidem ignorare te, quam non indigeat majorum ſplendore virtus, propria dignitate ſatis illuſtris, ſed tamen & illud conſtare, quod plerumque optimi ſoleant optimis naſci, pravis verò hæreditaria quaſi parentum adhærere vitia. *Per correctionem dicas*, ſed nolle te, prout dixeris hæc urgere, ne alieno malo laborare videatur Vlyſſes, cum ſatis vitiorum, quæ ipſi adſint, occurrat. *Sit ergo II. Argum. ab ADJVNCTIS Vlyſsis, ita ut ſimul III. conſequentibus inde EFFECTIS conſtans immiſceatur. Duo autem potisſimum adjuncta recenſet Ovidius: Primo timorem, ſecundo verſutisſimam fraudulentiam, de quibus partim in genere ita dicas, ut oſtendas* indigniſſima eſſe viro forti vitia, *quod ubi pertractaveris, ſingula de Vlyſſe in ſpecie proba, & timorem quidem tãtum ipſi adfuiſſe dicas*, ut cum ſuſcipiendum eſſet adverſus Trojanos bellum, quo liceret ipſi detrectare hoc onus, inſaniam ſi-

am ſimularit, quâ tamen à prudentioribus detecta, coactus fuerit arma ſuſcipere. *Hujus vitij exaggerandi cauſa duo propone.* *I.* quam turpe ſit pro Patriæ ſalute ſubterfugere labores. 2. quam egregia illa fortitudo ſit, quæ ab invitis & coactis proficiſcatur. *Atq; iſta ubi per hypotheſin Vlyſſi applicaveris, per Apoſtrophen ad Milites directa oratione,* annon dignus hic præ omnibus videatur fortisſimi Achillis armis, *additâ, exornationis causâ, comparatione Ironicâ Achillis & Vlyſſis, per diſtributionem Adjūctorum & effectorum utriusq;. Hinc ad aliud vitium fraudulentiā progrediens, ita connectere orationem poteris, ut* conſtare tibi *dicas*, quàm facilè ea omnia eluſurus ſit Vlyſſes, blandisſimis illis oris lenociniis, quibus ſolis, omni gladio fortius, non modo homines, ſed urbes & mœnia expugnare valeat; verum quàm falſa & ficta ea ſint, neminem latere, cum ubique fraudulentiæ ejus teſtes appareant. *Ejus rei probandæ cauſa enarretur ex Ovidio, quibus frau-*

752607



*bus fraudulentia Vlyſsis nocuerit:* Nam Phylocteten per ſcelꝰ reliquit in itinere, Palamedem præſtantiſſimum virum dolo & invidia circumvenit, Neſtorem ſapiētiſſimum deſeruit in acie. *Iterum Apoſtrophe inſtituta dicas:* has eſſe illas virtutes, quas præmio honorandas tam illuſtri ſtatuant Proceres, hæ illæ artes, quibus tantam laudem promeritus. *Amplificetur à contrario L. Com.* ſemper bonos viros indignorum infelicitate ad indignationem cōmotos, prout bonorum præmijs oblectari. *Ea occaſione IV. COMPARATIO Ajacis inſtituatur, cujus primum fundamentum genus, quod à Jove ipſo ducat, ne aliena laude niti videatur, per Præteritionem iterum tracta: ſecundum, quod res geſtas contineat, breviter etiam perſtringatur, ita ut ex innumeris alijs* unicum ſaltem illud duellum *proponas*, quo cum Hectore Trojanorum fortiſſimo congreſſus Ajax, præmium ab eo retulit, baltheum videlicet & gladium. *Hinc pro fortiſſimâ exaggeratione indignatio-*

*gnationis, illud urge per oppoſitionem contrariorum, quod* à peregrino eoq; hoſte acerrimo, honoratꝰ fuerit armorũ præmio, at nunc inter ſuos quos virtute ſua defenderit, negentur ipſi ea arma, quæ hæreditario jure ipſi competant: neque enim putare ſe, quod exciderit Græcis, quam arcta ſangvinis neceſſitudine ipſi Achilles junctus fuerit, cum ejus extiterit Frater, ut loquitur Ovidius.

*PERORATIO ex abrupto præſcindat orationis curſum*, ne videatur his vel alijs artibus illud emendicare velle, quod virtuti ſuæ jure debeatur, quin rem omnem ſusque deque habere; quicquid agant Proceres, nunquam defuturos æquiores arbitros, qui rei indignitate excuſſa, eâdem indignatione in perverſos cenſores ferantur.

## CAPUT XII.

## De INVIDIA.

Invi-

752607



Invidiam (*quam tamen non alio ab Oratore ſine doceri tenendum, niſi ut eo magis cavere ab ijs artibus, quibus gaudent invidi, diſcamus*) vocat *Ariſtoteles*, *& clarius explicat Cicero 4. Tusc. Quæſt.* moleſtiam quandam natam ex proſperitate, quæ apparet ob bona, erga ſimiles, idque non ut aliquid commodi contingat invidenti, ſed propter eos, quibus invideatur

In Theoria hujus affectus nota I. *SVBJECTVM*, qui invideant, ſuntque 1. Ii, qui cum proſpera fortunâ utantur ea tamen contenti non ſunt, ſed, quia ſimilium quocunque modo, pares ſucceſſus vident, majora indies requirunt. 2. Qui ambitioſi ſunt, aut aliàs cupidiores cujuspiam boni, ſive honoris id nomine, ſive ſapientiæ, ſive alio veniat: hi enim, quodcunque alijs hac in re acquiritur, eripi ſibi putant, quod ægrè ipſos habet: 3. Puſillanimi & abjectæ tenuisque ſortis homines: Hi enim, quod ipſis negatur, nemini poſſidere

dere fas ſtatuunt. Hinc pauperum in opulentos criminationes &c.

*II. OBJECTVM* ſ. quibus invideamus. Id in genere explicat Ariſtoteles voce ſimilium; ſimulque innuit, nec tenuiorum ob exilitatem, nec ſuperiorum ob eminentiam ſorti invideri: In ſpecie verò ſimilitudinem hanc declaraturus refert eò 1. Propinquos ætate, loco &c. 2. Honorum competitores, aut quocunque modo circa eadem verſantes. *Hinc figulus figulo &c.* 3. Honoribus celeriter potitos. 4. Eos, qui honore ſuo dedecus, aut commomodo damnum ijs acceſſunt, qui invident. 5. Qui ea conſecuti ſunt, quæ ſibi magis ob merita convenire putabat invidens. 6. qui facili opera ſumptuve id obtinuerunt, quod invidenti magno labore majorive impenſa conſtitit.

*III. CAVSAM*, quæ eſt tale bonum, quale antea deſcripſimus, convenitq; omnino cum Indignationis cauſa, variante tantum objecto.

Hinc

752607



Hinc & illud conſtat: Praxin omnem ex Indignationis affectu dependere, adeoque eodem modo etiam moveri utrumq; affectum.

Cum verò ad extingvendam miſericordiam maximè faciat Invidia, poteris ea hic repetere, quæ de Miſericordia diximus, & operam dare, ut ex collatâ contrariorum ratione, etiam hic tuus ſcopus facilius obtineatur.

Inprimis videat Orator, ne temerè circa hunc affectum verſando, boni viri nomen amittat, cum vix quempiam bonum confiteri hunc affectum, ſed ſubinde indignatione incruſtare audias.

Hujus Affectus *EXEMPLUM HABET CICERO IN ORATIONE PRO P. Quintio.*

*Non comparat ſe tecum gratia P. Quinctius, Sex. Nævi: non opibus, non facultate contendit: omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. Fatetur ſe non belle dicere, non ad voluntatẽ loqui poſſe; non ab afflicta amicitia transfugere,*

*fugere, atq; ad florentem aliam devolare, non profuſis ſumptibus vivere: non ornare magnificè, ſplendideque convivium: non habere domum clauſam pudori & ſanctimoniæ, patentem atque adeo expoſitam cupiditati & voluptatibus: contra ſibi officium, fidem, diligentiam, vitam omnino ſemper horridam atq; aridam cordi fuiſſe.*

*Et* PRO COELIO:

*Quare oro obteſtorq; vos, Jud. ut qua in civitate paucis his diebus Sext. Clodius abſolutus ſit, quem vos per biennium aut miniſtrum ſeditionis, aut ducẽ vidiſtis, qui ædes ſacras, qui cenſum pop. Rom. qui memoriam publicam ſuis manibus incendit, hominem ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis, ore, lingva, manu, vita omni inquinatum, qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit, mei fratris incendit, qui in Palatio, atq; in urbis oculis ſervitia ad cædem, & inſlammandam urbem incitavit, in ea civitate, ne patiamini illum abſolutum muliebri gratia, M. Cœlium libidini muliebri con-*

*bri con-*

*bri condonatum: ne eadem mulier cum ſuo conjuge & fratre, turpiſsimum latronem eripuiſſe, & honeſtiſsimum adoleſcentem oppreſſiſſe videatur.*

# DISPOSITIO XXIII.

## CONTINENS

## *EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM INVIDIAE IN FILIIS JACOBI, ADVERSVS FRATREM JOSEPHVM EX Genes. cap. XXXVII.*

*EXORDIVM breve ſit, ita ut ſimul obliquam PROPOSITIONEM contineat. Inſtituatur autem per Apoſtrophen dicendo:* Notiorem eſſe ijs rerum ſuarum ſtatum, quam ut prolixiori narratione opus ſit, quantopere enim unicus Joſephus reliquis omnibus præferatur, quotidie experiri omnes, quam tamen rem indigniſſimam eſſe, neminem negaturum. *Brevis occupatio addatur:* quamvis enim fraterno vinculo de-

lo devincti ſint, tamen rupto quaſi e-jus fœdere, longè diſſimili ſtudio in Joſephum & reliquos fratres ferri parentem, quæ res quam minimè tolerari debeat, ſi ipſum audire velint, facilè perſpicuum fore.

*TRACTATIO confirmet id I. conſideratione OBJECTI, erga quod invidia concitanda eſt, videlicet Joſephi, quē per varia adjuncta conſideraturus, primò* natu minimum *eum eſſe dic. Hoc adjunctum exaggera à privilegio illo,* quod primogenitis natuque majoribus fratribus Deus ipſe concesserit. *Cujus illuſtrandi cauſa poteris rationem addere, quod* ratione ætatis, quæ quantum annis creſcat, tantum etiam ſoleat ſapientia augeri, hæc eis competat dignitas, adeoque juris ferè communis eſſe, ut majori ſerviat minor; quæ omnia ſusq; deque haberi à Joſepho, ex contraria ejus ſuperbia, *quæ ſecundi adjuncti loco tractetur,* apparere *dicas. Hanc ſuperbiã proba initio ex gemino Joſephi ſomnio, quo non in fratres modo, ſed paren-*

752607



*parentem ipſum affectare videatur imperium. Deinde vituperetur hoc vitium breviter ex notiſſimo L. Com. quantum odium provocare ſoleant ſuperbi, addita tandem Exaggeratione à minori ad majus:* cum ubique, tum longè odioſius inter fratres hoc vitium eſſe, *addito fundamento à naturali ſangvinis communione, quæ communem etiam affectũ producere debeat. Sed per abruptionem hoc dimittens, illud inprimis ſuperbiæ exaggera indicium, quo patrium detrectet imperium, ſibiq́ ipſi arroget. Poteris majoris exaggerationis cauſa illud ſimile adferre, quo* parens id eſſe in ſua domo dicitur, quod Rex in regno, *adeoque fuſiori deductione per diſtributionem patriorum beneficiorum, quibus ad obſequium obſtringunt ſobolem, illuſtrare. Hic iterum per præciſionem abrumpe, hoc adjunctum, dicendo:* Si parens hoc ferre velit, ſua nihil intereſſe, fratrum modo cauſa ſalva ſit; *aſt* quantum hiſce periculum immineat, *ex tertio adjuncto proba, quod calumniam dicas & dela-*

*tionem*, qua quicquid ipſi agant, ad patrem deferat naſutulus. *Hic ſi velis breviter calumniam vitupera, ſed cum proximum adjunctum ſuperbiam eo modo jam tractaveris, potius ironica elevatione exagita Joſephum, ſcilicet* ea ætate puero competere, ut Majorum natu fratrum cenſor ſit, in eos animadvertat, leges vivendi det, quibus ſi non obtemperent, etiam parentis odium falſis calumnijs in eos irritet, hoc quam neutiquam tolerabile ſit, inde conſtare *dicas*, quod liberi homines ſint, tum eâ per ætatem prudentiâ, ut ipſi vitæ ineundæ rationem ſciant, hinc quod ab alio nullo toleraturi eſſent, id æquo animo ferendum à fratre juniore. *Per indignationem adde*, extrema potius omnia ab alio pati, quam hæc à fratre minimo decretum eſſe; *adeoq; fortiori ad fratres Apoſtrophe admoneantur, ut* ſtudioſiores ſint libertatis aſſerendæ, quam Vita ipſa bonis omnibus gratiorem *ex L C. confirma. II. Expoſitione CAVSAE, quæ graviorem in Joſepho*

752607



*invidiam concitet, quæ eſt* tenerrimus affectus parentis, quem & verbis & factis præ reliquis Joſepho teſtatur, *id quod ex hiſtoria ſacra cum conceptis verbis, tum peculiaris Joſepho veſtis conceſſæ deſcriptione proba. Poteris hoc primum fundamentum amplificare partim tractatione legis naturalis*, quâ ſtimulatæ feræ ipſæ citra diſcrimen communi στοργῇ fœtum ſuum proſequantur, ſcire fratres, hinc reipſa quoq; demonſtrandum, & ſi nonnullæ contrario modo vivere audiantur, infames quaſi ſuo modo ac deteſtabiles eſſe. *Applicatione facta patria hæc culpa exaggeretur*, quod iniquiſſimus videatur, cum in legem naturæ peccare non erubeſcat, aſt quanto odio injuſtitiam boni homines proſequantur, ſcire fratres, hinc reipſa quoque ipſis demonſtrandum eſſe, quantum adverſentur injuſtitiæ. *Partim à conſequenti damno ſeu inutili*, cum ex hoc peculiari erga Joſephum affectu variis modis laborare poſſit famæ reliquorum fratrum, quaſi ſuâ cul-

 pâ dif-

pâ difficiliorem Patrem experiantur, aut non eodem cum Joſepho legitimo thalamo orti videantur. *Breviſſimè in hoc fundamento tractetur L. Com.* quam ſtudioſi ſoleamus eſſe noſtræ famæ adverſus calumnias vindicandæ, præſertim ſi benè nobis conſcij ſimus. *Ea occaſione ad III. Tractationis membrum progredere, quod conſtet deſcriptione SVBJECTI ſive fratrum Joſephi, quorum benè merita erga parentem proponantur, quæ exaggerentur partim per diſtributionem induſtriæ, qua* gregem patrium colant: *poteris hic aliquot membra paſtoritiæ curæ proponere. Partim per contrarias illas delicias, quibus Joſephus domi inter otium & quietem fruatur. Iterum hoc exaggeretur membrum ab iniquo:* cum namque juſtitiæ diſtributivæ ſit ſuum cuique tribuere, & benè merentis labores condigno præmio compenſare, contrarium hic ubique contingere, dum gratiæ loco Parentis odium experiantur, Joſephus verò otij etiam præmia *capiat. Exaggeretur ulterius à*

*conſe-*

752607



*conſequenti fratrum contemptu*, dum non filij Jacobi & fratres Joſephi, ſed ſervi utriusque videantur, qui laborib9 ſuis eorum luxum fovere cogantur. *Apoſtrophe inſtituta ad fratres dicas*, diu jam ſe ſenſiſſe, quantopere ipſi hac injuria ſuâ ſponte afficiantur, ſed quo minus eam vindicaverint, neſcio quid obſtitiſſe, quin ergò ad ſe redeant, tantoque malo, antequam ulterius invaluerit, remedium opportune quærant, ne poſtmodum, ubi res deſperata fuerit, proprio ſuo jumento accerſiviſſe ſibi damnum accuſentur, id quanto exitio ipſis futurum ſit & pudori, cum ipſi probè intelligant, plura ſe hoc loco non addere, *adeoq; ſit hæc ex abrupto PERORATIO*

## DISPOSITIO XXIV.

### CONTINENS

*EXEMPLVM SECVNDVM MOVENDI AFFECTVM INVIDIAE*

## *IN TVRNO ADVERSVS AENEAM ET TROJANOS ex lib.6. AEneid.*

EXORDIVM *indignabundum ſit, crebris interrogationibus ardens, quibꝰ urgeatur Turnus & inertiæ cujusdam accuſetur, quod* cum antea potentiſſimos hoſtes devicerit, florentiſſimo regno imperaverit, nunc cedere videatur peregrino advenæ, extorri, infami dirisque omnibus exercito, quousque ergò tandem hæc toleraturus ſit, *interrogetur,* quin excitet tandem priſtinam virtutem, & injuriam, quæ niſi vindicata ab eo fuerit, graviſſima ei immineat, depellat; id enim quam neceſſariũ ſit, publicè jam conſtare, quibus iterum obliqua

*PROPOSITIO continetur.*

*TRACTATIO I. CAVSAM proponat Invidiæ adverſus AEneam: connectatur cum ſuperioribus continuatione interrogationum:* an ignoret ſolus, quæ in vulgus jam notiſſima ſint? annon videat

752607



videat, quid paret Latinus, cum negle-cto ipſo, advenæ Trojano Virginem filiam Laviniam addixerit, huic proinde, quas ipſe ſperarat, nuptias apparari. *Amplificetur hæc cauſa dupliciter, Initio ab antecedenti promiſſo filiæ Laviniæ thalamo, quem Turno Latinus pollicitus ſit. Illuſtretur à cauſis, quam id conſideratè conſultoq; fecerit, hincq;* majorem levitatem Latini eſſe, quo turpius ea reſcinduntur, quæ deliberato optime conſilio conſtituta fuerunt; *Deinceps conſequenti gemino, reſpectu Turni, partim ſummo commodo, quod ex nuptijs conſummatis ſperare potuiſſet,* potentisſimo videlicet regni ſui præſidio, quod ex nova cum Latino contracta affinitate, ſenſurus fuiſſet. *Hujus conſequentis amplificandi cauſa brevisſime L. Com. tractetur,* magnum principum robur ex affinitatibus provenire: *partim magno illo damno, quod loco dicti commodi ex nuptijs denegatis experturus ſit,* contemptus quippe & irriſus à Latino videbitur Turnus, quem dum ej9

ope indiguerit, & veneratus ſit, & pro genero elegerit, nunc adjutus eadem & repudiet, & peregrino vagabundoque advenæ poſtponat. *Et hoc itidem conſequens amplificetur eo L. Com. quod* generoſæ mentes adeo famæ aſſerendæ ſtudioſæ ſint, ut injurias vitæ etiam jactura vindicent. *Quod membrum cum validiſſimè ferocem Turni animum incendere queat, diligentius tractetur etiam. Hinc ad II. Tractationis membrum digredere, quod quidem* OBJECTVM *tractare deberet, verum cum eadem tractatio in alia quadam Diſpoſitione expedita ſit, obiter ſaltem ejus mentio fiat, ita ut contemptim per præteritionem dicas, indignum eſſe, cum quo Turnus conferatur. Sicq; III. loco* SVBJECTVM *conſidera, recitando laudes Turni, quas tamen & ipſas ita propones, ut reliqua eorum argumenta per præteritionem innuas, ut* quod natalium celſitudine, regni potentia, fortitudine militari & reliquis virtutibꝰ illuſtris ſit, *& ea tantum affer, quæ propria hujus loci ſunt, ut* ſumma illa me-

752607



la merita, quibus Latinum hac vice devinxerit, adeoq; jure quaſi quodam filiæ cõnubium acquiſiverit. Comprehendit ea beneficia *Virgilius hoc verſu:*

Tyrrhenas iſterne acies, tege pace Latinos.

*Vbi geminum beneficium Latino exhibitum dicitur, primo* ſubſidiarius exercitus, quo deficientes Latini vires adverſus Hetruscos juvit Turnus. Secundò pax inter Latinum & Hetruſcũ Turni beneficio inita, *utrumq; beneficium facilimè, quia notiſſimi ſunt, his L. Com. exaggerabis,* ut quod in re incerta, intraque ſummas neceſſitates conſtitutum Latinus Turnum adjuverit, nõ revocatus regni proprij gubernandi difficultate, non periculi magnitudine, ſed Latini ſalutem vitæ propriæ antetulerit. *Item,* quod eo bono Latini regnum beaverit, absq; quo conſtare neutiquam potuiſſet, dum pacis beneficium eidem contulerit. *Ex hiſce exaggerand: affectus cauſa, tum invebaris in Latini iniquitatem,* quâ pro optimè

meri-

meritis tam malam referat gratiam, quo fœdiſſimo vitio cum omnes, tum Magnates inprimis execrabiles fieri. *Tum clarius proponas* jus illud, quod in filiam obtinuerit Turnus, dum ſanguine quaſi ſuo eam ſibi acquiſiverit, idq; eo magis quo conſtantiori conſenſu & virginis Mater & virgo ipſa eadem profiteatur. Hoc ergo jus ſuum niſi proſequatur adverſꝰ Dardanios, & eorum inprimis ducem AEneam, Latinumq; hujus blanditijs deceptum, omnibus omnium ſeculorum hominibus contemptui futurum, maximè cum facultatem ejus rei inſtructiſſimus Exercitus ſuppeditet. *Abrumpatur Oratio & Apoſtrophe ad Turnum facta laudetur ejus magnanimitas, prudentia item, quæ nunquam, ut hæc patiatur, permiſſuræ ſint. Has verò quò magis laudaveris, eo fortius ad Invidiam & iram eum ſtimulabis, ſicq; prout in antecedenti obliquæ & præciſa PERORATIONE finies.*

752607



# CAPUT XIII.

## De AMULATIONE.

AEmulatio eſt moleſtia quædam ob bona honorata, quæ alteri adſunt, nata in eo, qui cum ſimilis illi ſit, ijsdem tamen careat, quamvis acquirere poſſit eadem: adeoq; dolor hic oritur non quod alteri adſint, ſed quod æmulanti non adſint.

In theoria hujus affectus nota I. *SUBJECTUM* ſ. qui æmulantur. Hos in genere vocat Ariſtoteles eos, qui ſe dignos ſimilium bonis judicant, poſtea ſpecialius eos conſiderans, quatuor eorum claſſes ſtatuit. I Juvenes & magnanimos. 2. Qui poſſident bona honoratis viris digna, majoribꝰ enim ſe dignos putant. 3. Qui ab aliis digni bonis deſideratis judicantur. 4. Qui domeſticis majorum familiæque honoribus clari ſunt.

*II. OB-*

*II. OBJECTVM* ſ. quos æmulari ſoleamus: Refert huc Ariſtoteles. 1. Qui bonis, quæ deſiderat æmulator, abundant. 2. Quibus multi ſimiles quacunque etiam ratione felices ſint, ſeſe optant. 3. Qui clariſſimorum virorum elogijs ſunt celebrati.

*III. CAVSAS* æmulationis, quæ juxta Ariſtotelem ſunt bona ſ. ἔντιμα, quo ipſe refert partim virtutes, partim bona reliqua omnia, quæ vel beneficentiæ, quippe ob quam plurimi honorantur, inſtrumenta ſunt, vel tranquillæ oblectationis fructum continent.

Praxis circa movendum hunc affectum ita paſſim obſervatur, ut partim eum, quem æmulari contingit, ejusdem cum æmulante conditionis oſtendas, partim æmulatori media atq; facultatem adeſſe probes, quibus facilimè ijsdem bonis potiri queat, adeoq; hic multum in eâ re poſſe æmulatorem modo velit, docebis.

Dein-

752607



Deinde exaggerandi affectus cauſa varia incentiva adde, qualia ſunt majorum virtus, aliorum clariſſima ex ijsdem bonis ſubſecuta fama, grande hinc promanaturum decus: quæ omnia figuris vehementioribus, Interrogationibus, Apoſtrophis, majorum defunctorum aut ſuperſtitum cognatorum Proſopopæijs &c. forti ſtimulo concitabunt æmulaturum.

Tandem cum imprimis ſpes obtinendi boni concitanda ſit, magnum huic affectui movendo ſubſidium præſtabunt, quæ de ſpei affectu dicta ſunt: ſed Amoris erga bonum ab æmulatore deſideratum concitandi ergo, quæ de hoc affectu propoſita ſunt, conſule.

Huic affectui contrarium contemptum ſubijcit Philoſophus, ſed cum ejusdem judicio plane ſuperfluum ſit, peculiari conſideratione eum proponere, cum ex æmulationis natura contraria hujus ratio pateat, quippe in quo omnia contraria ſimpliceter æmula-

mulationi eſſe opus ſit; hinc ejusdem conſilio acquieſcentes, plura de eo non addimus.

*HUJUS AFFECTUS EXEMPLUM HABET CICERO IN SEXTIANA.*

*Sed ut extremum habeat aliquid, Oratio mea, & ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me tam attente audiendi, concludam illud de optimatibus, eorumq́ principibus ac Reip. defenſoribus: vosq́ adoleſcentes, & qui nobiles eſtis, ad majorum veſtrorum imitationem excitabo: & qui ingenio & virtute nobilitatem poteſtis conſequi, ad eam rationem, in qua multi homines novi, & honore & gloria floruerunt, cohortabor. Hæc eſt una via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris, à bonis viris, ſapientibus, & benè natura conſtitutis laudari & diligi: noſſe deſcriptionem civitatis à majoribus noſtris ſapientisſimè conſtitutam: qui cum regum poteſtatem non tuliſſent, ita Magiſtratus annuos creaverunt; ut conſilium Senatus reip. præponerent*

752607



*rent ſempiternum: deligerentur autem in id conſilium ab univerſo populo, aditusq; in illum ſummum ordinem, omniũ civium induſtriæ ac virtuti pateret. Senatum reip. cuſtodem, præſidem, propugnatorem collocaverunt: hujus ordinis auctoritate uti Magiſtratus, & quaſi miniſtros graviſſimi conſilij eſſe voluerunt: Senatum autem ipſum proximorum ordinum ſplendore, confirmari plebis libertatem & commoda tueri atq; augere voluerunt. Hæc qui pro virili parte defendunt, optimates ſunt, cujuscunq; ſint ordinis: qui autem præcipuè ſuis cervicibus tanta munia, atq; remp. ſuſtinent, ij ſemper habiti ſunt optimatium principes, auctores & conſervatores civitatis. Huic hominum gereri, fateor, ut antea dixi, multos adverſarios, inimicos, invidos eſſe: multa proponi pericula, multas inferri injurias, magnos experiundos & ſubeundos labores: ſed mihi omnis oratio eſt cum virtute, non cum deſidia: cum dignitate, non cum voluptate: cum ijs, qui ſe patriæ, qui ſuis civibus, qui laudi qui gloriæ, non*

*riæ, non qui ſomno & convicijs & delectationi natos arbitrantur. Nam ſi qui voluptatibus ducuntur, & ſe vitiorum illecebris, & cupiditatum lenocinijs dediderunt, miſſos faciant honores, nec attingant remp. patiantur viros fortes labore, ſe otio ſuo perfrui; qui autem bonam famam bonorum, quæ ſola verè gloria nominari poteſt, expetunt, alijs otium quærere debent & voluptates, non ſibi. Sudandum eſt his pro communib9 commodis, adeundæ inimicitiæ, ſubeundæ ſæpè pro rep. tempeſtates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum. Hæc audivimus de clariſſimorum virorum conſilijs & factis, hæc accepimus, hæc legimus: neq; eos in laude poſitos videmus, qui incitarunt aliquando populi animos ad ſeditionem, aut qui largitione cæcarunt mentes imperitorum, aut qui fortes & claros viros & benè de Rep. meritos in invidiam aliquā vocaverunt. Leves hos ſemper noſtri homines, & pernicioſos cives putaverunt. At verò, qui bonorum impetus & conat9*

*repreſſe-*

752607



repreſſerunt, qui auctoritate, qui fide, qui conſtantia, qui magnitudine animi, conſilijs audacium reſtiterunt, ij graves, ij principes, ij duces, ij auctores hujus dignitatis atq; imperij ſemper habiti ſunt.

Et IN EADEM.

Quare imitemur noſtros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, AEmilios, innumerabiles alios, qui hanc rempubl. ſtabiliverunt: quos equidem in deorum immortalium cœtu ac numero repono: amemus patriam; pareamus Senatui, conſulamus bonis: præſentes fructꝰ negligamus; poſteritati & gloriæ ſerviamus, id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum: ſperemus quod volumus, ſed quod acciderit feramus: cogitemus denique, corpus virorum fortiũ, magnorumq; hominum eſſe mortale, animi verò motus & virtutis gloriam ſempiternam: neque hanc opinionem, ſi in illo ſanctiſſimo Hercule conſecratam videmus, cujus corpore ambuſto, vitam ejus & virtutem immortalitas excepiſſe dicitur, minus exiſtimemus

memus

*memus eos, qui hanc tantam Remp. ſuis conſilijs aut laboribus aut auxerint, aut defenderint, aut ſervarint, eſſe immortalem gloriam conſecuturos.*

Sed vide & alia in eadem.

## DISPOSITIO XXV.

### CONTINENS

### *EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM AEMVLTIONIS IN JONATHANE POST VICTORIAM DAVIDIS 1. Sam. 18. SVB PERSONA SAVLIS PARENTIS*

E*XORDII propoſitio deſumatur à Loc. Com. quod videlicet* feliciſſimum omnis virtutis incrementum præſtent exempla alienæ virtutis. *Ratio addatur à ſimili:* quemadmodum enim ignis & illuſtrat luce ſua, & incendit calore proxima quæq;, ita quoque fortium exempla animos aliorum inflam-

752607



inflammant. *Amplificatio rationis deſumatur ab eventu, ejusq; cauſa efficiente,* quod virtus, ſi debito honore afficiatur, alliciat alios ad ſimilis præmii ſpem, idq; ob licitum debiti honoris appetitum, qui virtutis feliciſſima nutrix eſſe ſolet. *Concluſionis loco transferatur theſis ad Hypotheſin, per Apoſtrophen ad Jonathanem filium hoc modo:* Hæc dum audis nate, quæ mens tibi, poſtquam tanto cultu victricem Davidis virtutem ornatam vidiſti? *Subjungatur.*

*PROPOSITIO, qua moneatur Filius, ut* ſimili virtuti ſtudeat, ſicq; Davidis honorem ſuperare conetur.

*TRACTATIO confirmabit PROPOSITIONEM triplici argumento.* 1. *ab VTILI, ita ut deſcribatur ſummus ille honor, quem veluti ſuæ virtutis fructum David ſit expertus. Inſtituatur hæc deſcriptio per diſtributionem, quam variis modis exhibuerint eidem cultum ſubditi. Amplificetur à conſequenti immortalitate videlicet nominis, quod omnes poſteri ſint*

*ſint veneraturi.* *Deinde à cauſa efficiente hujus honoris, videlicet virtute Davidis*, quam dum patriæ liberationi impendit, patris patriæ nomen obtinuit. *Fuſius tractetur hic Loc. Comm.* eſſe feliciſſimam Regiæ gloriæ ſegetem virtutem, & in ſpecie illam, quæ ut civibus ſuis benè ſit, labores maximos non refugit. *Confirmetur Exemplo potiſsimum eorum, qui ante Saulem rem populi Iſraelitici gubernarunt, ut Joſuæ, Simſonis &c.* quorum nomina adhuc gratiſſima omni orbi dicas, hãc potiſſimum ob cauſam, quod gravisſimos labores pro Patria promptè ſubierint. *Alia Amplificatio à cõtrario,* quod qui hac virtute deſtituti fuerint Reges, inſtabile gloriæ ſuæ habuerint fundamentum, quoniam nullo pignore fidẽ ſuam & amorem populo cõfirmarint, ac proinde horum magis purpuram quàm perſonam coli, potentiam verò magis metui quàm amari. *II. Ab AEQVO. Hic deſcribas SVBJECTVM ſive Jonathanem AEmulaturum*, qui

cum

752607



cum regii ſangvinis ſit, quid æquius, quàm regias virtutes æmulari. *Amplificetur ab adjuncta circumſtantia Temporis*, quod videlicet novum adhuc ſit regnum, nec dum ſatis aſſvetæ regio nomini populi aures, hinc niſi virtute illud illuſtretur, plenam terroris vocem fore, dum inter regiam fortunam laſciviæ tradituros ſe Reges populus ſit arbitraturus, adeoque rei gravitate offenſus excuſſurus tantum jugum, aſt ea omnia præcaveri poſſe, ſi ſalutē ſuam curæ regibus eſſe videant ſubditi, eoque fine oblitos quaſi Majeſtatis, difficilimis laboribus immiſceri. *Exornetur hoc membrum ſimilibus*, *ut* de Oriente ſole, quem proniores adorant, quam occidentem; ſic & novos reges facilius occupare ſubditorum mentes, modo virtutem demonſtrent. *Item:* Veris loco eſſe regnorum initia, è quibus non minus de omnis imperij ſucceſſu, quàm ex iſto de anni proventu judicare liceat. *III. à FACILI, ubi iterum deſcribatur Jonathan ex alijs adjunctis*

*junctis* quod videlicet nil eorum ipſi deſit, quodcunque ad ſimilem populi favorem applauſumque obtinendum facere poſſit, indolem heroicam, ſagacitatem mentis, corporis robur dediſſe naturam, à fortuna imperium oblatum, quo tot hominibus obediendi legem imponere poſſit, utatur ergo ijs, quæ ſuo miniſterio deſtinârit natura. *Ab Eventu*, non defuturos tantis conatibus ſubditos, quin ſpontaneo auxilio laborem pro ſua ſalute ſuſceptum promoturos, imò ſi ſegniores nonnulli inter ipſos extiterint, principum virtutem eos inflammaturam, quippe pudori ipſis fore, ſi principe laborante, ipſi dilicientur. *Addatur L. Com.* quantum proſit Principis ſtrenuus labor ad excitandos ſubditos. *Exornetur per ſimile*, Solis inſtar eſſe Principem, qui langvidos ſubditorum animos animet.

*PERORATIO brevi recapitulatione ad labores fortiter ſuſcipiendos ſtimulet Jonathanem, moneatque ut* agat, quod

752607



quod ſe dignum ſit, ne regiæ virtutis laudem vel à Davide, vel quovis alio præripi ſibi patiatur.

## DISPOSITIO XXVI.

### CONTINENS

*EXEMPLVM SECVNDVM MOVENDI AFFECTVM AEMVLATIONIS IN MILITIBVS AGATHOCLIS, QVOS CVM SERVI ESSENT, PAVLO ANTE LIBERTATE DONARAT, VT AEMVLARENTVR RELIQVORVM, QVI LIBERI ERANT, MILITVM VIRTVTEM, ex Juſtin. lib.22. c.4. circa fin.*

*EXORDIVM deſumatur à laude virtutum militum*, quas niſi perſpectas haberet, non hoc eos ſermone allocuturum fuiſſe, nunc cum & reipſa præmium virtutum obtinuerint, non vana hæc futura verba ſperare ſe dicat.

*Amplificationis loco breviter Loc. Com. adhibe de uſu orationum militarium*, quæ cum apud ignavos nihil faciant, fortibus viris calcarium inſtar eſſe ſolent. *Transferatur ad hypotheſin, ſimul ad*

*PROPOSITIONEM*, *deveniendo:* Id cum tibi hac vice etiam pollicearis, breviter eos ad conſtans virtutum exercitium, reliquorumque, quos ſecum habeat, fortiſſimorum virorum æmulationem adhortari voluiſſe.

*TRACTATIO AEmulationis fundamenta proponat I. à SVBJECTO AEMVLATVRO, quod deſcribe tum ab Antecedente, tū à præſenti conditione, ita ut dicas*, quòd cum ſervi antea (*exaggerare hic poteris ſummam illo tempore ſervitutis turpitudinem & miſeriam*) fuerint, jam libertate donatos, non ingenuis modo, ſed nobiliſſimis inſuper capitibus æquaverit. Hinc æquiſſimum eſſe *dicas*, ut quibus honore jam ſimiles ſint, virtutibus quoque ſimiles ijsdem eſſe ſtudeant. *Amplificationis loco in hoc argu-*

*argumento tracta L. C. quo probatur*, uti fundamentum, ita præſidium honorū nullum eſſe tutius virtute, *quod ubi deduxeris, per contrarium adde*, abjectiſſimos eſſe, qui vitijs ſqualent, etiam in ſummo honorum faſtigio collocatos, cum quicquid hac in parte ipſis contigerit, à cœco fortunæ impetu dependeat, quæ prout inſtabilis, ita ſapientib9 ſemper contempta fuit. Nec proinde glorioſi quidpiam â contemptiſſima hac ſperandum. *Vt ſpecialius hæc applices, occaſione priſtinæ ſervitutis de veræ libertate diſcurre, ita ut concedas* externam libertatem corporum eos obtinuiſſe, quæ tamen niſi animum virtute exerceant, omni ſervitute abjectior futura ſit, cum videlicet nulla gravior ſervitus ſit, quam quæ animum vitijs mancipat, hac prout quisque exempt9 eſt, ita revera liber exiſtit, ſecus ſordidiſſima mancipia etiam ingenuè natos eſſe. *Per Apoſtrophen alloquere milites:* Hæc prout ipſe ſub libertatem conceſſam cogitaverit, ita non aliam

mentem ipſis adeſſe ſperaverit, quàm ut cum externa ſervitute depoſita, novoque libertatis dono accepto, animũ ipſum vitiorum jugo excuſſo, optimorum hominum virtute ornarent. *Cum vero omnis hujus argumenti vis æquitate nitatur, poteris aliud hujus fundamentum adferre ex L. C. quod dicitur* æquũ eſſe præmia dignis diſtribuere. Atque hinc *argue*, non minus æquum eſſe, ut præmijs ornati, eos ſeſe gerant, quo non obtinendis tantum, ſed uſurpandis quoque defendendisque ijsdem dignos ſe præſtent, quod tamen, niſi virtute, nulla re alia obtineri. *II. Ab OBJECTO quod debeant æmulari: Hic deſcribe militem reliquum Agathoclis, tum à nobilitate & generis eminenti proſapia, tum à fortitudine & rerum geſtarum gloria, utrumq; ita propone, ut dicas* non ignota eſſe ea his, cum quibus agas, quippe & majorum illuſtre genus eos reſciviſſe, & quas res cum ipſis geſſerit coram vidiſſe, hinc ultro eos incendi debere; ut tam egregiis viris ſimile

miles fiant. *In hoc argumento, quod potiſſimum glorioſo nititur ſ. honeſto L. C. tracta, de indole virtutis*, quæ cum ſemper ad ardua tendat, hæc ut conſequatur, laudatiſſima ſummornm virorum veſtigia premere ſoleat. *Inducatur confirmandi hujus cauſa unum atq; alterum exemplum. (quod tamen, ne in Chronologorum calculum peccet, Agathocle prius ſit) eorum qui maximè ſtrenui alienæ virtutis æmulatores exſtiterunt: quod ut intueatur miles jubeatur. Vlterioris Amplif. validiorisq; commotionis causâ contrariam ignaviæ indolem adducito*, quæ uti torpore ſuo langvet, ita neque præmijs, neque exemplis excitari poſſit. *Hic jam per communicationem è militibus quære*, utrum huic an glorioſiſſimo priorum exemplo ſimiles eſſe malint. *Vt fortius ſtimules, per hypotypoſin quaſi ſubjunge, quãta ipſorum gloriæ futura ſit*, ſi qui inter mancipia è ſervili ſangvine fuerint nati, propria virtute nobiliſſimi generis autores futuri ſint, & ſi nõ majori, communi tamen,

cum eminentiſſimis Siciliæ Proceribus, honore ſint celebrandi. *Inter alia poſterorum honores, qui hiſce accepti ferentur, in medium adfer, quos non niſi immortalis & æterna memoria ſit comitatura. III. Argumentum à CAVSA; quæ tamen, cum in proximo aliquo modo propoſita videatur, ſub certisſima gloriæ ſpe leviter attingatur, ita ut ſat ſtimuli inde apparere dicas. Interea alium Amplificationis cauſa locum tracta à facili, oſtendendo* quam nihil, quod eos ab hoc laudatiſſimo propoſito avocet, obſtet. Nam & priorem ſervitutis fortunam, quæ reprimere ſolet interdum generoſos impetus, ſublatam, & cum reliquis in eadem luce conſtitutos eſſe, & quod maximum eſt, ijsdem viribus corpus, eadem virtute animum pollere, hinc modo ne ipſi ſibi deſint, nihil defuturum augendæ ipſorum gloriæ. *Exaggerabis hoc per comparationem aliorum*, qui intra antiquiſſimã antiquiſſimæ gloriæ poſſeſſionem conſtituti non tamen etiam graviſſimos labores ſubte-

752607



ſubterfugerint, quo majus majusque gloriæ ſuæ adderent incrementum, quid ergo hos æquum facere ſit, qui novo adhuc honore ornati, facilimo negotio & confirmare & augere eundem uberrimè poſſint?

*PERORATIO ex abrupto ſubſequatur, veniam quaſi petendo dictorum*, quod quaſi oblitus ſui ea dixerit, quæ diffidere ipſum eorum virtuti teſtẽtur, cum tamen certus ſit, eadẽ vritute, qua primum libertatis donum meriti ſint, innumeram etiam ſubſequentis fortitudinis laudem acquiſituros. Quâ re: ut nihil gratius ſibi accidere poſſit, ita felicem ſucceſſum apprecari.

## CAPVT XIII.
## De
## LAETITIA.

*Et ſic abſolviſſe nobis omnem movendorum affectum rationem, cum Ariſtotele, videbamur, cum nõnulli adhuc occur-*

*rerent affectus, qui quamvis ab Ariſtotele, quod potiſſima eorum ratio è ſuperioribus conſtaret, non ſint tractati, cum tamen in nonnullis ſpecialis tractandi modus ſeſe offerat, obiter brevibus annotare eosdem ex aliјs placuit.*

Et lætitia quidem, *quæ plurimum cum Amore convenit juxta Ciceronem lib. 4. Tuſc.* eſt opinio recens boni præſentis, in quo efferri rectum videatur. *Vel:* Motus animi ſ. ſenſus boni præſentis, quatenus præſens eſt, cujus effectus eſt delectatio, ſive tranquillitas animi in bono præſenti ſvaviter acquieſcentis.

Cæterum è *CAVSIS*, ob quas lætari ſoleant homines, primariæ, quæ ſequuntur videntur 1. ſi durior ſors blandiori mutetur, ubi antecedentium laborum adverſitatumque difficultas, cum præſenti voluptate conferenda. 2. ſi collata cum aliorum fortunis noſtra major appareat. 3. ſi præter opinionem ſubitum contingat bonum; quo refer etiam, ſi bonum præter conſvetu-

752607



ſvetudinem inſolitum concedatur. 4. ſi tranquillitate ſua gaudeat mens conſcia recti, quæ uti gaudij omnis ſummam conſtituit; ita & ab ipſo Dei ſpiritu plurimum commendatur.

Adduntur his, quæ, externos ſenſus dum feriunt, animum ipſum grata quadam voluptate perfundunt, ut ſunt è naturalibus nativæ locorum, aliarũque rerum amœnitates atque venuſtates; è civilibus verò publicarum celebritatum, in ludis, triumphis, aliisque publicis, inter publicam lætitiam, inſtitutis, amœnæ deſcriptiones; quibus poſterioribus plurimum affectui huic familiares Panegyricæ illuſtrantur.

*Atq; hinc etiam SVBJECTI* ſ. eorum ratio patet, qui facilè lætitiæ affectum admittant, nimirum, quibus è ſupra dictis feliciter quippiam contingit.

Artificium verò quo in movendo hoc affectu utitur Orator tum generatim, tum ſpeciatim ita ſe breviter habet.

In genere quidem 1. ratione verborum id curabit Orator, ut ipſe dicendi character floridus atque amœnus plurimum oblectet, quo ſine exquiſita omnia, nova, ingenioſa, nil plebejum, commune afferat, numero itē ſvaviori, ſtilo cultisſimo, ornamentisque Rhetoricis, ſententiis item elegantibus expolito utatur.

II. Ratione rerum id obſervabit, ut cum varij variorum ſint affectus, neq; omnes trahat una voluptas: prudenter delectum ingeniorum inſtituat quo quæ ſingulis grata ſunt, ſuo tempore proponat, aliàs enim invitos vix gaudio objectis ingratis movebit: quāquam ſunt nonnulla ejus indolis, quæ communi absque diſcrimine omnes gaudio perfundunt.

III. In ſpecie eleganter notat Cauſinus lib. 8. c. 21. aliter in Panegyricis, quæ ſolam oblectationem reſpiciunt, aliter in deliberationibus, aliisque civilibus orationibus hunc moveri affectum: Cum enim in iſtis omnem moven-

752607



movendi vim dictionis argumentorumque amœnitas abſolvat: in his exquiſitiori cura opus eſt, quippe in quibus, cum utilem quandam intendant oblectationem, certa commodorum acceſſio, malorumque fuga oſtendenda, prout id exemplis ibidem confirmatur.

IV. Inprimis Prudentis Oratoris eſt, videre ne gaudium concitaturus, ad theatralia delinimenta prolabatur.

*Cætera ex affectu Amoris patent.*

*EXEMPLVM HVJVS AFFECTVS VIDE IN CICERONIS ORATIONE II. CATILINARIA.*

*Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis atq; huic urbi ferrum flammãque minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem urbe proſecuti ſumus. Abiit, exceſſit, evaſit, erupit: nulla jam pernicies à monſtro illo atq; prodigio, mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur. Atq; hunc quidem unum*

*hujus*

*hujus belli domeſtici ducem ſine controverſia vicimus, non enim jam inter latera noſtra ſica illa verſabitur, non in campo, non in foro, non in curia, non deniq; intra domeſticos parietes pertimeſcemus. Loco ille motus eſt, cum eſt ex urbe depulſus: palam jam cum hoſte, nullo impediente, bellum juſtum geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeq; vicimus, cum illum ex occultis inſidijs, in apertum latrocinium conjecimus. Quod vero non cruentum mucronem, ut voluït, extulit, quod vivis nobis egreſſus eſt, quod ferrum de manibus extorſimus, quod incolumes cives, quod ſtantem urbem reliquit; quanto tandem illum mœrore afflictum eſſe & profligatum putatis? Jacet ille nunc proſtratus, Quirites, & ſe perculſum atq; abjectum eſſe ſentit, & retorquet oculos profecto, ſæpe ad hanc urbem quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget: quæ quidem lætari mihi videtur quod tãtam peſtem evomuerit, foraſque projecerit.*

752607



*Et POST REDITVM AD QVIRITES:*

*Etſi homini nihil eſt magis optandum, quam proſpera, æquabilis perparvaq; fortuna, ſecundo vitæ, ſine ulla offenſione, curſu: tamen ſi mihi tranquilla & placata omnia fuiſſent, incredibili quadam & penè divinâ, quâ nunc veſtro beneficio fruor, lætitiæ voluptate caruiſſem, Quid dulcius hominum generi à natura datum eſt, quàm ſui cuiq; liberi? mihi verò & propter indulgentiam meam, & propter excellens eorum ingenium, vita ſunt mea cariores: tamen non tanta voluptate erant ſuſcepti, quanta nunc ſunt reſtituti. Nihil cuiquam fuit unquam jucundius, quam mihi meus frater: non tam id ſentiebam, cum fruebar, quam tunc, cum carebam, & poſteaquam vos me illi, & mihi eum reddidiſtis. Res familiaris ſua quemque delectat: reliquæ meæ fortunæ recuperatæ, plus mihi nunc voluptatis afferunt, quam tunc incolumi afferebant. Amicitiæ, conſvetudines, vicinitates, clientelæ, ludi deniq; & dies feſti,*

*quid*

*quid haberent voluptatis, carendo magis intellexi, quam fruendo. Jam verò honos, dignitas, locus, ordo, beneficia veſtra quanquam mihi ſemper clariſſima viſa ſunt, tamen ea nunc renovata, illuſtriora videntur, quam ſi obſcurata non eſſent. Ipſa autem patria, Dij immortales, dici vix poteſt, quid caritatis, quid voluptatis habet: quæ ſpecies Italiæ? quæ celebritas oppidorum? quæ forma regionum? qui agri? quæ fruges? quæ pulchritudo urbis? quæ humanitas civium? quæ Reip. dignitas? quæ veſtra majeſtas? quibus ego omnibus antea rebus ſic fruebar, ut nemo magis. Sed tam quam bona valetudo jucundior eſt iis, qui è gravi morbo recreati ſunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt; ſic ea omnia deſiderata magis, quam aſſiduè percepta, delectant.*

## DISPOSITIO XXVII.
### CONTINENS

*EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM LAETITIAE SVPER*

752607



## *SVPER DAVIDIS VICTORIA, QVA PROSTRAVIT GOLIATHVM.*

*EXORDIVM ſit breve & concitatum, quale ſolet eſſe in affectibus vehementioribus, deſcribatq; gaudium populi per ſimile deſumptum ab ijs,* qui inſperato bono per ſomnium fruentes, vix credunt ſuam felicitatem, nec ſatis capiunt gaudij magnitudinem: ſic agere dicas cives, poſt famam inſignis victoriæ & proſtrati hoſtis. *Amplificetur hæc Propoſitio per diſtributionem variorum Signorum, quibus gaudium hoc ſuum teſtentur,* alios dic mirari & attonitos quaſi ſtare, alios in jubila ac cantica effuſos, crebris ſermonibus eam uſurpare, alios victori obviam ire, & oſculari fortem dextram, alios altius pergere, & primum tanti gaudij autorem Deum devotè prædicare. *Concluſio Exordij ſimul implicitam habeat*

*PROPOSITIONEM, quæ approbet hoc gaudium,* illudq; juſtum & æquum

ob tan-

ob tantam undique lætandi cauſam *dicat.*

*TRACTATIO ipſa probet æquitatẽ, hujus gaudii, magisq́; illud accendat I. ab OPPOSITA TRISTITIA, qua opprimebatur univerſum regnum. Deſcribatur hæc ex hiſtoria Biblica, quam ſi obſerves, poteris exaggerare hanc triſtitiã tum à ſcopo, quem hoſtes ſibi propoſuerãt eo bello, qui erat deletio populi Iſraelitici: tum à protervia & fortitudine hoſtium partim generali;* erant enim ex profana Philiſtæorum gente, quorum & potentiſſimæ vires erant, ob corporum robora, & multum augebantur, cum adverſus invaſores regni ſui pugnarẽt; *partim ſpeciali, quæ in Goliatho inprimis elucebat, qui deſcribatur ex dicto loco: tum exaggeretur ab inæqualitate eorum capitum, quorum duello rerum ſumma ſtabat Davidis & Goliathi. Amplificetur hoc membrum per ſimile, quibus præter triſtitiam ſummus exprimatur timor:* Sic imbelles columbæ accipitrum ge-

nus me-

752607



nus metuunt, & minorum virium feræ, Leonis iram: Sic ubi decertãtium ventorum raucos ſtrepitus nautæ audiunt, atq; tonitruum fragorem, ſummo luctu pavent, nec minus Iſraelitis horribilis hoſtium ſuperba vox atque potentia fuit. *Alia amplificatio ab Exemplis*, recordatos eos dic fuiſſe graviſſimæ in AEgypto Tyrannidis, & variorum laborum, quibus in deſerto fuerant afflicti, quos iterum metuebant: *ſed ab oppoſito dicas*, multò eos leviores æſtimandos fuiſſe, dum cogitarint ſævam acerbiſſimorum hoſtium iram, qua poſt priores illos ſuperatos labores, hi in ipſorũ vitas fuiſſet graſſaturi. *II. Arg. ADJUNCTA ejus rei, ſuper qua gaudeant, exponat, eo modo ut dicas*, ijs omnibꝰ malis liberatum eſſe populum hac victoria, *quæ deſcribatur tribus verbis, à forma, quod videlicet conſiſtat in proſtratione Goliathi. Per Exclamationem laudetur hoc factum, & ſic ſubjungantur adjuncta ipſa, ut quod fuerit 1. maximè neceſſarium*, quia eodem uni-

verſa

verſa populi ſalus fundata fuerit. 2. *fuerit opportuniſſimũ*, eo tépore evenerit, quo res fuerint deſperatiſſimæ. 3. *inſperatũ*, nemo quippe eũ ſuccesſũ ob imparitatem hoſtiũ ſperabat. 4. *Inauditum & novum. Poſtremum hoc dilatabis ab exemplis aliarum victoriarum, quas Deus Iſraelitis conceſſerit: recita unam atq; alteram è libro Judicum, ſed nullam cum hac comparandam eſſe dicas*, cum in illis ſemper aut par, aut non multo minor congredientium numerus, aut certè deficiente numero inſignis fortitudo militaris, aut inſigne aliquod ſtratagema, in hac a. nihil tale occurrat. *Deſcribe itaq; per collationem imparium utrumq; hoſtem*, congreditur hic minimꝰ cum maximo, opilio cum milite peritiſſimo, inermis cum armato. *Ex quibus omnibus illud patere dicas* non modo gaudium, ſed ſummum etiam gaudium rebus ita comparatis eſſe partum. *III. Argum. ab EFFECTIS. Hinc propriè per diſtributionem ea*

*omnia*

752607



*omnia in ſpecie ſublata eſſe dicas, quæ antea metuebantur mala*, loco timoris ſecuritatem, loco tumultuum quietem, loco ſcelerum, virtutum omnium vigorem, loco ſuperſtitionis profanæ veram divini cultus religionem, &, uno verbo, loco belli pacem contigiſſe. *Hic breviter ſententiose amplifices horũ effectorum dignitatem & utilitatem, additis exornationis loco ſimilibus, de navi portum per tempeſtates ingreſſa, de clariore poſt nubila Phœbo. IV. Argum. à CONSEQVENTIBVS, è quibus eſt ratione Davidis immortalis gloria*, quâ apud poſteros florebit. *Confer hanc Davidis gloriam cum aliorum Joſuæ, Simſonis &c. honoribus, ita ut his illa præferatur. Reſpectu populi verò eſt fiducia*, qua nunquam poſt hac hoſtium vires adeò timebit, ſed læta victoriæ ſpe, hoc exemplo confirmatus, ſuſtinebitur.

*CONCLVSIO eum quem cœpit fortius moveat affectum, per Apoſtrophen ad populum*, quâ rectè ſentire *dicatur*, & futu-

futuræ benignitatis, divinæ ſecurus eſſe *jubeatur*, modo conſtanti cultu DEO adhæreat, præſenti verò lætitia feliciter omnes fruantur, ſed ita, ut DEI ſupremi victoris memores, devotas pro tanto bono gratias agant.

## DISPOSITIO XXVIII.

### CONTINENS

### *EXEMPLVM II. AFFECTVS LAETITIAE IN ROMANIS CVM POST EXACTOS REGES LIBERTAS PVBLICA ESSET RESTITVTA ex lib. 2. Dec. 1. Liv.*

EXORDIVM *deſumatur à reipſa, præſenti videlicet Reip. lætitia, quam poſtquam breviter deſcripſeris, rationis loco æquitatem ejusdem adde, per comparationem præſertim priorum temporū* quibus varias lætandi occaſiones oblatas *dicas (recenſere nonnullas poteris ex 1. lib. Livij)* aſt tamen omnium hanc & maxi-

752607



maximam & æquiſſimam tibi videri, quod facilimè omnes confeſſuros ſperes, ſi quæ brevibus allaturus ſis, percipere non graventur, *quæ PROPOSITIO.*

*TRACTATIO I. conſideret OBJECTVM Lætitiæ, ſuper quo gaudeant Romani, videlicet libertatem reſtitutam populo. Hîc ita progredere, ut initio in genere L.C. de maximo libertatis beneficio tractes, quod cũ ubiq; occurrat, tu ex ampliſſima dicendorum copia ad duo hæc generalia capita revoca orationem, ut partim* ingrata omnia etiam excellentiſſima dona abſente libertate, *partim* & graviſſima mala libertatis adminiculo levia fieri, bonæ atq; rectæ indolis hominibus *oſtendas. Deinde ubi amœnè prius illud tractaris, in ſpecie, hanc libertatem, qua nunc Romani gaudeant, conſidera à conſequenti potiſſimum*, quod poſthac imperii poteſtas non penes unius libidinem futura ſit, ſed bonis omnibus ex æquo pateat. *Amplificationis loco de æqualitate, feliciſſimo rerum publi-*

*publicarum fundamento diſſere*, quomodo *videlicet* ipſa ſalus publica feliciter creſcat, ubi non ad paucos reſtringitur honor publicus, ſed tanquam commune virtutis præmium in medio ponatur, eadem lege, omnibus idipſum virtutis ſtudio ambientibus, conferendum. *Per Apoſtrophen, Romani inflammentur ad ſolertiorem virtutis cultum, additis crebrioribus interrogationum ſtimulis, per diſtributionem variarum Reipubl. cauſa ſuſcipiendarum operarum, quas omnes promtisſimè ſubituri ſint, tanto propoſito præmio, hoc fortè modo:* Quis poſthac non omni cura id aget, ut laudatisſimâ vitam inſtituendi ratione, dignum ſe Republ. civem præſtet: Quis non publicis curis ſubjacebit, quibus ſuæ ipſius felicitati operturũ ſe novit? *Quis non caput vitamq; gravisſimis etiam periculis objiciet, pro ea Republ. cujus ſe aliquando caput futurũ ſperet. II. Conſideret per contrarium OPPOSITAM TRISTITIAM, quam ex crudelisſimo Tarquinij Imperio percepe-*

*rit Res-*

752607



*rit Reſpubl. Hîc iterum ex Liv. lib. 1. initiò publica crudelitatis ſigna propone*, quomodo *videlicet* & in regnum irrepſerit, & crudeliter illud geſſerit, dum filio ipſi crudelitatis, adverſus amiciſſimæ civitatis cives, exercendæ autor fuerit. *Hiſce ſimilia ex Livio in ejus Hiſtoria conquire. Deinceps ad privatam filiorum crudelitatem & laſciviam progredere, ubi in primis* turpiſſimum in Lucretiã admiſſum facinus *exaggera, quo facto, iterum Apoſtrophe ad Romanos inſtituatur, per Communicationem exornata*; quæ jam aliis ſecuritas domi expectanda erat, cum in maximè neceſſarios & ſangvine junctos tentare illud auſa fuerit effrænis libido? Et latius hanc graſſaturam fuiſſe *proba ex L. Com.* qui nefandæ libidinis obſtinatos impetus *proponit*, quos nunquam, ubi ſemel abripere animũ inceperint, in ordinem coges aut repelles. *Exaggeretur* quæ hinc exortura fuiſſet univerſæ civitatis miſeria, dum non ex honeſtatis legisve præſcripto, ſed ex libidine cum

ne cum Romanis acturus fuiſſet Magiſtratus, cives verò mancipiorum inſtar futuri fuiſſent, quod tamen cum omnibus, tum Romanorum virtute indignisſimum *dicas. Hinc per complexionem dicas:* cum malis ijs omnibus ſublatis tantum libertatis bonum ſucceſſerit, quantum æquiſſimo gaudio efferantur, quemlibet videre. *III. Conſideret ADJVNCTVM hujus libertatis geminũ, quod videlicet* & neceſſario reſtituenda,& opportunè reſtituta fuerit libertas; *utrumq́ complectere, ſicq́ tracta, ut per Præteritionẽ ex paulo ante dictis apparere idipſum dicas. Amplif. loco in hoc membro primum regum inſtitutum profer, idq́ conſidera, partim ex optima Romuli autoris mente,* qui videlicet unum imperio præficiens caput, id intendebat, ut quemadmodum numeroſiſſima proles uni Patri, ſic innumera civium multitudo uni Regi & curæ & amori eſſet. Vnde Patrum quoq; nomen in Rempubl. invectum. *Partim lauda priorum Regum virtutem*

qua

752607



qua fideliſſimi hujus conſilij ſectatores laudatiſſimis incrementis Remp ornarint. *Hinc ut major emphaſis ſit, poteſt ad manes ipſorum inſtitui Apoſtrophe, optariq;*, ut ſi fieri poſſet, præſentem Reip. ſtatum uſurpent, ac quantum à priori mutatus intueantur. *Sic obliquè adſcopum rediens, oſtende*, quãtopere à priſca illa virtute deflexerit Tarquinius, neq; aliud à filio ſucceſſore ſperandum, turpiſſimum ejus facinus confirmare. Vnde extrema requirente neceſſitate opportunum libertatis vindicem Brutum adfuiſſe, ac feliciter & prioris miſeriæ finem ſtatuiſſe, & ſucceſſuræ felicitatis ſpem feciſſe. *Iterum per Apoſtrophen Romani jubeantur fateri:* Annon ſi abſque hoc libertatis beneficio vivendum poſthac fuiſſet, vita ipſa ingrata futura fuiſſet?

*PERORATIO Admoneantur ergo* ut læti præſentibus bonis fruantur, *ſimulque ut in antecedenti oratione* ad colendum autorem tanti muneris, Deosq-

M impri-

inprimis pro ulteriori Reipubl. confirmatione orandos, *inſtigentur*.

# Caput XIV.
## De
## DOLORE.

Contrarius lætitiæ affectus eſt Dolor, qui ſenſus eſt & opinio præſentis mali, quo lugere rectum videatur, quatenus præſens eſt, cujus effectus ægritudo ſeu turbatio animi præſenti malo afflicti.

Cæterum hujꝰ affectus natura non tantū ex affectu odii, cum quo omnia ferè communia habet; ſed & ex antecedenti, contrariorum ratione, ſatis innoteſcit, niſi quod inter præcipuas cauſas numerentur, tum bonorum gratiſſimorum amiſſiones, tum aliæ graves difficultates, quæ vel nobis ipſis, vel cognatis amicisq; contingunt: maximè ſi rectè factorum conſcientiâ indigni ijsdem videantur.

In ar-

752607



In artificio & tractatione omnia ſuperioribus contraria ſunto, hinc loco amœnitatis ſqualor; loco ſvavis ſtyli querelæ & lamentationes; loco commodorum damna graviſſima accurate deſcripta proponantur.

Interdum ad augendum dolorem etiam oculorum ſenſus adhibetur; hic enim cum acerrimus ſit, validiſſimè irritare videtur. Tale Cæſaris cruenta veſtis oculis ſubjecta præſtitit; & hodiè adhuc præſtare videntur artificio picturæ expreſſa; *Sed & in his opera danda*, ne terminos ſuæ artis excedens Orator ad Scenam abripiatur, quod & de lugubris Muſicæ moderato uſu accipiendum.

Quæ de leniendo dolore ſolent addi, ea ex tractatione Conſolatoriæ, in parte Speciali Rhet. adde.

*AFFECTVS HVJVS EXEMPLVM HABES IN CICERONIS ORATIONE PRO S. ROSCIO AMERINO:*

*Prædia mea tu poſſides: ego aliena miſericordia vivo. Concedo, & quod animus*

*nimus æquus eſt, & quia neceſſe eſt: mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt, fero. familia mea maximà uteris, ego ſervum habeo nullum: patior & ferendum puto. Quid vis amplius? quid inſequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi à me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obſto? ſi ſpoliorum cauſa vis hominem occidere, ſpoliaſti. Quid quæris amplius? ſi inimicitiarum, quæ ſunt tibi inimicitiæ cum eo, cujus antea prædia poſſediſti, quàm ipſum cognoſti? ſin metuis, ab eone aliquid metuis, quem vides ipſum ab ſeſe tam atrocem injuriã propulſare non poſſe? ſin quod bona, quæ Roſcij fuerunt, tua facta ſunt, idcirco hunc illius filium ſtudes perdere: nonne oſtendis id te vereri, quod præter cæteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proſcriptorum bona patria reddantur? facis injuriam, Chriſogone, ſi majorem ſpem emptionis tuæ in hujus exitio ponis, quàm in his rebus quas L. Sylla geſſit. Quod ſi tibi cauſa nulla eſt, cur hunc miſerum tanta calamitate affici velis: ſi tibi omni-*

752607



omnia ſua, præter animam, tradidit, nec ſibi quidquam paternum, ne monumenti quidem cauſa, reſervavit: per Deos immortales, quæ iſta tanta crudelitas eſt?

Et PHILIPP. XI.

Ponite ante oculos P.C. miſeram quidem illam & flebilem ſpeciem, ſed ad incitandos animos noſtros neceſſariam, nocturnum impetum in urbem Aſiæ clariſſimam, irruptionem armatorum in Trebonij domum, cum ille miſer prius latronum gladios videret, quam, quæ res eſſet, audiſſet: furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram, atq; os illud infame, vincla, verbera, equuleum, carnificem, tortoremq; Samarium, quæ tuliſſe illum fortiter & patienter ferunt.

Et PRO COELIO.

Proh Dij immortales, cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut connivetis, aut præſentis fraudis pœnas in diē reſervatis? Vidi enim, vidi, & illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vita, quū C. Metellꝰ abſtraheretur è ſinu gremioque

*patriæ, cumq; ille vir qui ſe natum huic imperio putavit, tertio die poſt, quam in curia, in roſtris, in rep: floruiſſet, integerrima ætate, optimo habitu, maximis viribꝰ eriperetur indigniſſimè bonis omnibus, atq; universæ civitati. Quo quidem tempore ille moriens, cum jam cæteris ex partibus oppreſſa mens eſſet, extremum ſenſum ad memoriam Reip. reſervabat: cum me intuens flentem ſignificabat, interruptis atq; morientibus vocibus, quanto impenderet procella urbi, quanta tempeſtas civitati: & cum parietem ſæpè feriens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebro Catulum, ſæpè me, ſæpiſſimè Remp. nominabat: ut non tam ſe emori, quam ſpoliari ſuo præſidio cum patriam, tum etiam me doleret.*

## DISPOSITIO XXIX.
### CONTINENS
### *EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM TRISTITIAE IN ADAMO SVPER CAINI FRATRICIDIO.*

*EXOR-*

752607



E*XORDIVM breve ſit, cujus Propoſitio potiſſimum cauſas exponat, quib9 motus ad dicendum acceſſeris, directa ad Adamum (ſicut & tota oratio)* non id fieri, quaſi gaudeas ejus infelicitatẽ, ſed quod animitus lugeas ejus miſeriam. *Addatur ratio hujus Propoſitionis,* quod homines natura ſtimulante aliorum miſerijs tangantur omnibus, tum maximè ijs, quæ inſolitæ ſunt, & præter ſpem eveniunt. *Concluſio Exordij cum*

*PROPOSITIONE,* qualis cum hæc proh dolor! ſit, affectu te abreptum eſſe, ad cogitandam exactè hãc triſtitiã, & demonſtrandum, merito hac ipſum affici, *dicas.*

*TRACTATIO inſtituatur ab EFFECTIS & ADJVNCTIS, tam publicis quam privatis. Primo itaq; præcedant EFFECTA, & ita quidem ut publica, quæ in omne hominum genus redundatura ſint, præmittas. Connexio cum Propoſitione inſtituatur brevi deſcriptione Adami, quâ dicatur* parens omnium homi-

num, ſicq; etiam omnium hominum ſorte moveri ipſum *dicas*, atq; hinc miris modis augeri dolorem, dum tot incommoda ſuis poſteris hinc enaſci videt. *Recenſeantur jam ea incommoda videlicet*, perfidia, crudelitas, rerum divinarum contemptus, legis naturalis neglectꝰ & alia vitia, ad quæ deſignanda hoc Autore ſtimulabuntur poſteri. *Amplificentur hæc Effecta à L.C.* quanta exemplorum vis *ſit*, quibus longè facilimè moventur homines, adeo ut nec quicquam intentatũ relinquat quorũdam malitia, quod auſos alios eſſe viderit. *Alia Amplificatio à natura parentum*, quibus id admodum grave accidit, ſi liberorum mẽtes vitijs depravadas cernere cogantur, quia namque omnia à prole ſua incommoda avertere laborant, tum maximè omnium ea impedire conantur, quæ animos lædunt. Hos enim multis modis præſtãtiores corpore eſſe, indeq; morbos illorũ peſtilentiores corporis morbis fieri. *Tertia Amplificatio per antecedẽs malũ, in Paradiſo in poſteros derivatum, inſtituatur*

*tur.*

752607



*tur*, quo per DEI gratiam aliquantis-perſopito, novum hoc opprimit: Ita videlicet experiri ipſum, quis manducati pomi fructus ſit. *Hac occaſione deveniatur ad effecta privata reſpectu Adami, dicaturq́;* primum nunc hujus exemplar in eo, quem amiſerit, apparere. *Exaggeretur hoc Effectum privatum partim a deſcriptione Abelis*, quod cariſſimus fuerit filius, *cujus laudes per diſtributionem recenſe ex varietate objectorum*, reſpectu Dei ubi pietas, reſpectu parentum obedientia atq; timor, reſpectu ſui ipſius pura mentis caſtitas & ſtrenua vocationis expeditio, *laudetur, partim exaggeretur à novitate rei*, dùm nunquam adhuc experti mortis dominiũ, nunc quam potétiſſimũ id-ſit vident. *Deſcribatur ad augendam triſtitiam mors, tum in genere*, quod ejus ſit potentiæ, ut deſtuere poſſit nobiliſſimam Dei creaturam, *tum in ſpecie, ubi per diſtributionem recenſe, quantopere ſingula membra opprimat, verbi cauſa* oculos cœcitate, aures ſurditate, mem-

brorum agilitatem rigore *&c. partim exaggeretur à modo, quo videlicet è vivis ſublatus ſit,* non naturali virium defectu, quæ integræ adhuc erant ſub juventutem, ſed nefario, eoque non peregrino, ſed fraterno ſcelere. *Hac occaſione breviter ad aliud effectum privatum perge, videlicet* miſerrimum & deſperandum Caini ſtatum, quo maximè affici parentem, naturali erga filium ſtorga impulſum dicas. *II. Argum. primarium ab ADJVNCTIS, connectatur per Apoſtrophen ad Cainum:* Itane decebat Caine &c. *Adjuncta autem recitentur ſequentia 1. quis peregerit,* primogenitus *videlicet* hominum, cujus nativitate paulo ante tantopere gaviſa fuerat Eva. *Apoſtrophe inſtituatur ad Matrem commiſerationis pleniſſima,* quod tantopere eam fefellerit opinio. 2. *in quem commiſſum ſit ſcelus,* in fratrem, eumque unicum, & optimæ ſpei, & natu majoris fratris obſervantiſſimum. *Exaggeretur Epiphonemate,* ſic jam tum fratrũ

gratia

752607



gratia falſa fuit. 3. *Quando, ſub prima ſacra Deo facta. Hic graviſſima invectiva in Cainum inſtituatur.* Itane doctus eras à pijſſimis parentibus ſupremum venerari numen? 4. *Quomodo:* per fucatam amoris ſimulationem, quæ tegebat internum odium, *Hic iterum invectiva in Cainum inſtituatur, qua exprobretur ei turpiſſimum illud* hypocriſeos ſcelus, quo Deum puræ fidei & ſinceri absque fuco amoris amantẽ læſit. *Subjungatur deinde,* Diabolo ipſum potius litaſſe, quam Deo, qui & ipſe ſimili mendacio ac dolo credulos deceperat parentes. 5. *Ob quam cauſam peractum ſit, ubi* nullam Abelis culpam interceſſiſſe dicas: neq; enim præſtare hic poterat ea, quæ Deus circa ſacrifitium peragebat: *Deſcribatur id ex hiſtoria Biblica. Atq; ex hiſce omnibus, præſertim ultimo loco dictis, maximè augeri Adami triſtitiam oſtende.*

*PERORATIO.* Quæ cum ipſe cogites, ita obrui te dolore dicas, ut & tibi deſint, & nullis ſeculis ſuperfutura ver-

ba cre-

ba credas, quibus tam atrox deſcribatur ſcelus. *Subjunge breve votum, quo preceris, ut* & hoc malum patienter ferre diſcat, & in poſterum nihil tale quid experiri cogatur.

# DISPOSITIO XXX.
## CONTINENS
## *EXEMPLUM II. MOVENDI AFFECTUM TRISTITIAE IN ROMANIS GRAVISSIMA CLADE IN PUGNA CANNENSI AFFECTIS ex lib. 2. Dec. 3. Liv.*

EXORDIVM *potiſſimum nitatur eo L. Com. quo* uti felicitatis ita calamitatis publicæ communis omnibus ſenſus eſſe debere dicitur. *Addatur fundamentum*, quod omnis Reipubl. ratio hac communione nitatur. *Applicentur ad Hypothesin, oſtendendo*, quantum id ab omnibus Romæ civibus ſemper fuerit obſervatum, *cum pathetica optatione, qua petas* ut liceat hac quoque vice Deo-

752607



Deorum indultu ſperatæ victoriæ fructum inter publica jubila celebrare, aſt quam graviora Reip incumbant fata, publicum omnium luctũ teſtari, quod *Adverſativæ loco, dicas. Hinc ſubjunge Concl. Exordij cum*

*PROPOSITIONE* qua non modo gravisſimum ejus luctus ſenſum, ſed & æquisſimum omnium eſſe teſteris.

*TRACTATIO Luctus primum fundamentum deſumat ab* ADJVNCTIS. *Vbi 1. in* GENERE CLADIS MAGNITVDINEM *ex Livio deſcribe,* quod ea majorem aliam nullam Roma ſit experta. *Deinde in SPECIE per diſtributionem ſingula cladis argumenta exaggera, ut* Conſulis occiſi, tot Quæſtorum, tot Tribunorum militum mortes, tot milites, tot ſocij, cæſi partim, partim capti, tam grandis ſpoliorum copia, *quæ omnia, ut magis affectuoſe proponas, poteris non modo* Rempubl. univerſam caput ſuum deplorantem, ſed & privatos, ſuorum jacturam lugentes, *per diſtributionem ſubjectorum introducere.*

*Ampli-*

*Amplificationis cauſa in hoc membro primo allega* priſtinam Romanorum virtutem, qua non modo plurimarum aliarum Gentium victores (*quod probabis exemplorum aliquot è Livio allegatione*) fuerint, ſed & hunc ipſum hostẽ feliciſſimè bello primo Punico devicerint. *Hujus Amplificationis nervus potiſſimum in novitate & inſolentia hujus rei conſiſtit. Hinc per contrarium ſ. oppoſitionem diſtributivam, ad antecedentem victoriarum felicitatem, cum immaniſſima hac clade progredere* 2. Deos ipſos à Roma averſos *oſtende ex ijs potiſſimũ, quæ Livius de ſumma opportunitate pugnandi, quæ Pœnis adfuerit, refert, dum* omnia pro ijs, Romanis verò adverſa fuiſſe. *Hic L. C. geminus tractetur pro gemino amplificandi medio. Primò quidem,* quàm grave ſit virtuti, ab indigno hoſte opprimi, & ignominia præter meritum affici. *Deinde* quam grave illud infortunium ſit, Deos iratos habere. *ex utroq; fuſius tractato, poſteriori verò etiam ſpecialius Reipub. Romanæ* appli-

752607



*applicato, quippe* quæ Quirini, reliquorumq; Deorum præſidium ſuperſtitioſiſſimè colebat, *confirma, quàm juſta lugendi cauſæ Romanis exiſtat:* Hæc enim quisquis animo dolenti non æſtimet, neque bonum, neq; pium civem eſſe. *Vnde per Apoſtrophen Romam alloquere, eamq; ad luctum ſuum modis omnibus prodendum adhortare. II. Fundamentum à CONSEQVENTIBVS S. EFFECTIS, ubi geminum conſequens affer, reſpectu quidem victoris Hannibalis ſummam crudelitatem, qua ſæviturus ſit in Romam, quod proba & à voluntate & à facultate. Voluntatem oſtenſurus, adhibe tum ſpeciale fundamentum, quod* rei Romanæ evertendæ fidem Patri puer etiam adhuc obſtrinxerit, *dum, prout Liv. lib. 1. hujus Dec. refert*, altaribus admotus tactis ſacris jure jurando adactus eſt, ſe cum primum poſſet hoſtem fore populo Romano, *unde quid ſpei in tanto hoſte ſuperſit, quærantur. Tum generale*, communem victorum conſvetudinem, qui victoriam proſequentes,

magis

magis magisq; affligere devictos ſoleant, quod & ab hoc vaferrimo hoſte non intermiſſum iri, quis non videat? *Facultatem vero proba à maximis Hannibalis viribus*, quibus cum feliciter adeo pugnaverit, multum fiduciæ ipſi acceſſiſſe *dicas*. Romanorum cõtra res depreſſas, animos ad reſiſtendũ abjectos, vires nullas; *quorum illuſtrãdorum cauſa, L.C. tracta*, quam ſoleat animari exercitus victorijs, contra quã nulla deſperationi & metui adeſſe fortitudo ſoleat. *His ſubjungatur alterum conſequens reſpectu Romanorum, videlicet totalis Reipubl. everſio, quæ ut fortiꝰ animos feriat, per Hypotypoſin proponatur, ita ut* jam videre te *dicas* promiſcuam omnis ætatis ordinis, ſexus, cædem, avidisſimas fortunarum rapinas, crudeles ædium publicarum vaſtationes *&c. quæ per diſtributionem variorum crudelitatis hoſtilis objectorum exactius deſcribe*, *atq;* hinc neminem niſi fera omni ferior ſit, hæc absq; lacry-

752607



crymis & luctu cogitare, nedum aſpicere poſſe *dicas*.

*PERORATIO* hanc ſortem Reip. miſeram *dicat*, qua quidem niſi ſingulari Deorum ope eripiantur, actũ eſſe de ſummo mundi imperio, proinde illud unum reliquum videri, ut Dijs pro averruncando tanto excidio ſupplicẽt, de cætero animum obdurantes, primis hiſce initiis gravioribus ferendis asſveſcere diſcant.

## CAPUT XV.

## De DESIDERIO ET POENITENTIA.

Deſiderium eſt animi quidam appetitus rei bonæ quidem & delectabilis, ſed abſentis.

Circa hunc affectum omnia ea tam ratione Theorias, quam tractationis repetenda ſunt, quæ de affectu amoris tradita ſunt, ab illo namq; non differt, niſi quod vehementiori ardore rem deſidera-

ſideratam expetat, quippe quam amore dignam antea jam cognoverit.

Poſſunt tamen & ex ijs nonnulla hoc loco haud incommodè tractari, quæ circa ſpem ſive confidentiam monita ſunt: cum namq; ſperemus & deſideremus ea tantum, quæ poſſibilia ſunt, ſpes potisſimum deſiderantis erigenda eſt, quo pateat fieri poſſe, ut deſiderato bono potiatur.

Cæterum & OBJECTVM & CAVSA Deſiderij ita proponantur, ut ea rei magnitudo atq; præſtantia appareat, quam meritò deſiderare videamur, quæ omnia in deſcriptione rei amabilis cauſisque amoris clarè ſatis proponuntur.

De artificio neq; quicquam addendum videtur, niſi quod eandem prudētiam requiramus, quâ probe perſpecta ſubjectorum indole cognitum habeat, quid quisq; naturali ſtimulatus inclinatione appetat atque deſideret, quid ve item fugiat atque averſetur, ubi cōmodorum damnorumq; expendenda eſt ratio.

Repri-

752607



Reprimitur autem Deſiderium ijsdem argumentis, quibus gignitur odium, item quibus Deſperatio confirmatur.

De Pœnitentia tandem pariter quoque res ſe habet: cum namq; dolore conſtet, quem juſtum ſequitur odium ejus rei, cujus tum ob ſummam turpitudinem, tum ob ingentia damna quibus infamis eſt, nos pœnitet, pudetq; ex utriusque affectus conſideratione, pudoris quoque ratione habita, eadem facile movebitur.

## DISPOSITIO XXXI.
### CONTINENS
### *EXEMPLVM PRIMVM MOVENDI AFFECTVM DESIDERII IN ISRAELITIS BABYLONE CAPTIVIS.*

*EXORDIVM ſit deſumptum à prioribus Prophetarum minis, & interminatione divina diuturni hujus carceris, quam confirmes ab immobili Dei veritate, hoc fortè modo:* Tandem ergo vide-

tis e-

tis eveniſſe, quæ diu ante minabatur Deus; ita eſt, nunquam fallit DEi veritas &c. *Rationis loco amplificetur gemina occupatione, partim ab* incredula hominum ſecuritate, quæ ſpernere ſolet haſce Dei minas; *partim* à mora, qua ſolet differre pœnas Deus, *quam utramque ſolve experientia propria Iſraelitarum*, qui & ipſi irritas Dei minas putabant, partim temeraria ſecuritate, partim tarditate executionis decepti, ſed jam nimis vera ea omnia vident. *Poteſt ſolutio occupationis inſtitui per Apoſtrophen ad captivos. Subjungatur aditus ad*

*PROPOSITIONEM, ita ut gravitatẽ carceris deſcribas breviter à varijs malis, quorum tamen maximum dicas triſte illud, quo patriam ſuſpirant, deſiderium.*

*TRACTATIO affectum hunc approbando, ſimul augeat eundem à DESCRIPTIONE inprimis rei DESIDERATAE, videlicet Patriæ, cujus ADJUNCTA & EFFECTA recenſeantur, præmiſſa generali ratione hujus Deſiderij ab amore Patriæ,*

752607



*triæ, qui omnibus innatus eſſe ſolet, deſumpta ; de quo Loc. Com. vide Florilegia oratoria. Subjungantur in ſpecie quædam de Palæſtina Judæorũ patria, uti ſunt* PRIMVM ADJVNCTVM, *modus, quo hanc nacti ſunt, videlicet* ſingularis Dei amor, cujus teſtem clariſſimum cum majoribus dare vellet, hanc terram nõ modo multis retro ſeculis promiſit, ſed & debito tempore occupandam conceſſit. *Deducatur ex hoc primo Adjuncto primum effectum videlicet* ſumma illa oblectatio, quæ ex promisſione hac ante occupationem etiam hujus terræ in majorum mentibus extitit, cujꝰ ſpe moleſtias gravisſimas & adverſitates ſæpe vicerunt. *Poteſt hoc effectum proponi per Apoſtrophen cum exclamatione ad terram Judaicam hoc modo:* O diu ſperata terra: quoties tua memoria durisſimos majorum labores lenivit. &c. *SECVNDVM ADJVNCTVM ſuccedat, quod ſit quaſi fundamentum primi Effecti, videlicet ſumma felicitas & fœcunditas hujus terræ, quæ deſcribatur per dis-*

*tributionem ex poſterioribus libris Moſis & Joſuæ, ſimulq; connectat Effectum hujus felicitatis, ſummam videlicet recreationem, quâ fruebantur etiam hi ipſi captivi, dum iſtam incolerent. Poteſt hoc effectum exornari per communicationẽ cum captivis fratribus, addita diſtributione h.m.* Quid videtur viri fratres ea vobis voluptas, qua felices incolæ fruebamur, dum jam vinearum amœnitatem, jam olivetorum fœcunditatem, jam paſcuorum ſalubritatem, jam agrorum opulentiam uſurpabamus. *Adde in hunc modum alia, quæ pro laude regionum afferre ſolent, ut ſunt* aeris atq; cœli conſtitutio, fluminum abundantia, nemorum atque ſylvarum gratia, quæ omnia copioſiſſimè Judææ adfuiſſe, cum ſumma incolarum delectatione *oſtende.* TERTIVM ADJVNCTVM *ſit veri Dei cultus. Connectatur hoc cum ſuperioribus per comparationem à minori ad majus, quâ dicas*, omnia reliqua regionum ornamenta, ut ut ſumma ſint; caduca tamen eſſe & humana, quæ veræ

752607



veræ felicitatis fundamentum conſtituere nequeant: eam omnium maximã laudem eſſe, ſi Deo propitio utatur, ejusq; conſortio gaudeat populus. *Tractetur deinceps hoc Adjunctum 1. à cauſa Efficiente ipſo Deo, hic deſcribatur* ſumma illa familiaritas, qua Deus cum hac gente egit, quam etiam Moſes ipſe miratur, eoque nomine Iſraelitas omnibus gentibus præfert. *Per imitationem exprimi poterit Muretus de lege Moſi tradita agens Orat. 1. 2. Per diſtributionem partium hujus cultus, ita ut iterum cauſæ Efficientis fiat mentio, quomodo videlicet* Deus ipſe docuerit, varias ſacrificiorũ ſpecies, ſacerdotes inſtituerit & ornarit, varios ceremoniarum ritꝰ præſcripſerit &c. 3. *Ab Effectis*, quod hoc modo Iſraelitæ & Dei amorem, & culpæ veniam, & vicinarum gentium admirationem obtinuerit. 4. *ab adjuncto loco, videlicet* templo illo ſplendidiſſimo, quod ſibi ſedem ſelegerat Deus, unde & focus ipſius ibidem fuiſſe dicitur. *Hoc ultimum potiſſimum exaggeretur cum*

*tur cum affectu triſtitiæ per Apoſtrophen ad templum, cujus miſeranda ruina per partes proponatur, cum comparatione prioris gloriæ*, quæ cum ſemper, tum feſtorum tempore maxime eluceſcebat, cum quaſi excita ſedibus ſuis univerſa Judæa ad præſtandum Deo cultum eò ſe conferret. *Per Hypotypoſin exornetur hoc modo:* Adhuc mihi videor videre parietes illos auro obductos, æternæ lucis cum ſole certantis fulgorem &c. *ex deſcriptione templi Salomonis in lib. Reg. Cõtinua illam hypotypoſin hoc modo* Adhuc mihi videor audire jubila & cãtus, quibus undiq; confluens turba numen venerabatur. *Adde reliquam deſcriptionem feſtivarum ſolennitatum ex ſubjectis & effectis*, quod videlicet cum parentibus nati, cum ſenioribus juvenes, cum plebe nobiles &c. turmatim ad templum feſtinarint, unde gaudii & exultationum ubiq;, triſtitiæ ſigna nuſpiam apparuerint. *Per complexionem dicatur*, omnia iſthæc ſe cogitare, ſed infelici memoria, quæ nil niſi luctum & mœro-

752607



& mœrorem gignant. *Probetur hoc ad augendum deſiderium ex deſcriptione præſentis calamitatis*, qua nõ modo deſtituti ſint ijs omnibus delicijs, ſed & loco earundem miſeria repleti. *Amplifica per diſtributivam comparationem imparium, ut* quod loco templi ſqualidum carcerem inhabitent, loco divini cultus ſuperſtitionem Idololatriæ videant, loco ſvaviſſimorum hymnorũ ploratus edant, & lacrymas, loco ſvaviſſimæ Dei vocis hoſtium audiant illuſiones. *Subjungatur Effectus hujus miſeriæ gravius videlicet priſtinæ felicitatis deſiderium, quod ultimo loco exaggeretur à COGNATIS & COMPARATIS.* Sic aviculæ tempeſtate cœli oppreſſæ deturbatos indos expetunt; ſic ventis agitatꝰ nauta deſideratum patriæ portum ſuſpirat; ſic venationibus & ſiti defatigatus cervus aquæ refrigerium expectat. *Fiat Apodoſis ex Pſ. 42. pro vehementia deſiderij in Iſraelitis augenda.*

*PERORATIO erigat animos fratrum*, non cariturum ſucceſſu hoc deſiderium, ſed certiſſimè expletum iri, *argumento deſumpto à promiſſione divina, quæ vera ſemper eſt. Concludatur per votum ad Deum*, ut tandem miſeratus ſuam gentem, promiſſam carceris ſublationem lætumq; in patriam reditum ipſis præſtet, *quod votum poterit exprimi ultimis 14. Pſalmi verbis.*

## DISPOSITIO XXXII.

### CONTINENS

### *EXEMPLUM II. MOVENDI AFFECTUM DESIDERII IN GENTE FABIA ADVERSUS VEJENTES HOSTES PUGNATURA ex lib. 2. Dec. 1. Liv.*

E*XORDIUM deſumatur à Loc. Com. qui* omnem virtutis laudem hanc ſummam eſſe docet, ſi in publicum proſit, & communem Rerumpubl. juvet ſe

752607



vet felicitatem. *Rationis loco à contrario procede*, abſque eo ſi ſit virtus, mortui inſtar cadaveris eſſe, cujꝰ cum nulla ſit operatio, nulla quoque ejus appareat dignitas. *Illuſtretur ſimili ab arboribus*, quarum etiam amœniſſimus flos abſque fructuum ſalubritate parũ laudis obtineat. *Applicatione ad virtem facta, ad hypotheſin transfer orationem, laudando Fabios*, qui omnem eam virtutis, quâ celeberrimi undiq; ſunt, laudem parvi faciunt, niſi feliciter ejꝰ fructu patria fruatur. *Concluſio EXORDII cum*

*PROPOSITIONE*, quod cum declaraturi ultro bellum adverſus Vejentes genti ſuæ depopoſcerint, nõ laudãdum modo tam egregium facinus, ſed ut quam citiſſimè etiam ſuſcipiatur, impellendos fortiſſimos animos tibi viſum fuiſſe.

*TRACTATIO ita explicet Thema, ut prout in antecedenti, EFFECTA & ADJUNCTA rei deſideratæ recitentur.* Et *EFFECTA hujꝰ adverſus Vejentes ſuſ-*

*cipiendæ pugnæ duplicia potiſſimum refer I. Ratione REIPVBL. ſummum illud commodum, quo donaturi ſint Remp. hac promptitudine Fabij exaggeretur. Poteris h.l. ex Liv. deſcribere varia Romanorum bella, eaq; exaggerare à gravitate, à diuturnitate, à pluralitate mentione facta* Æquorum, Volſcorum, aliorumque populorum, quibus hucusque conflictandum fuit Reipubl. *Subijce gravia damna, quæ hinc in Rempubl. promanarint ratione exhauſti ærarij, attritarum item virium &c.* Quibus omnibus ſuperveniat hoc adverſus Vejentes ſuſcipiendum bellum, quod uti magnum ſit, maximas exercitus, ſumptuumque vires requirat, ita vix harũ quicquam difficilimis hiſce temporibꝰ Romæ ſupereſſe. *Ad Hypotheſin progredere dicendo:* Jam videre Fabios, quantis laboret difficultatibꝰ Reſpubl. quantisque ſublevatura eandem ſit ipſorum virtus, *quæ ut gratior acceptiorq; appareat, Amplificationis loco ex adjunctis illud huc transfer, quod ab opportu-*

*nitate*

752607



*nitate deſumptum*, eo gratius omne beneficium reddit, quo opportuniori tempore confertur. *Primaria tamen hujus membri amplificatio conſtet Loc. Comm. de amore erga Patriam*, qui cum omnibus Romanis ſemper, tum nulli magis, quàm Fabiæ genti hoc tempore curæ fuerit atque cordi: *quem Locũ Communem, cum vulgatiſſimus ſit, facilè poteris pertractare, factaq; ad Fabios applicatione ad ſecundum Effectum perge, quod* RATIONE FABIORVM *immortalis nominis honos. Hic poteris initio L. C. tractare de indole generoſarnm mẽtium*, quomodo debito juſtoque modo honoris ſint appetentes. *Breviter diſcurrere poteris inſuper*, quid diſcriminis inter laudatam hanc honoris cupidinem, & turpem ambitionem intercedat, quam lætiſſimo iſta incremento virtutem provehat &c. *Amœnioris illuſtrationis cauſa adde exempla tum exterorum (ïta tamen ut Fabiorum ætate, priora exempla alleges) tum Romanorũ quorum ſapientiſſimis inſtitutis ſemper*

*ſuus virtuti conſtiterit honor. Hinc iterum ad Fabios transfer Orationem oſtendendo* & ipſos omnium cultum provocaturos, dum & externos in ſui abripient admirationem, & Romanorum præmia ampliſſima atque tanta virtute digniſſima obtinebunt, quin & ad æmulandum plurimas alias gentes inflammabunt, quæ uno hoc exemplo motæ vindicare atque aſſerere Patriæ ſalutem gaudebunt, propria tamen hac Fabiæ genti ſuperfutura laude, tam fortes tamq; promptos Patriæ aſſertores eos fuiſſe. *Prout antea amorem Patriæ exaggeraſti, ita hic eam laudem exaggera, quæ ex ſervata Patria oritur. ADJUNCTA Secundo loco ſuccedant, è quibus duo potiſſimum pertracta 1. quod* SOLI *& autores & uſurpatores hujus laudis ſint futuri. Duplici comparatione hoc Adjunctum amplificetur I.* Variarum virtutum, quas cum plurimis alijs communes habeant Fabij *(poteris nonnullas recenſere)* at verò tantam juvandæ Patriæ promptitudinem, qua publicum

752607



licum ac commune bellum familiare ſibi reddant ſumptuq; privato, ita ut & milite & ſumptu Reſpubl. in ea vacet, gerere velint, in nemine unquam deprehenſam fuiſſe. 2. *Rerum ab aliis pro Patria laudatisſimè ſusceptarum*, quarum ſocios tamen habuerint, qui uti partem laborum ſuſtinuerunt, ita gloriæ quoq; partē obtinuerint. Hic vero nihil tale, nihil peregrini sāgvinis huic admiſcebitur gloriæ, ſed una atq; ſola Fabiorum laus propria erit. *Poteris amœnitatis gratia exornare hoc adjunctum per diſtributionem tum officiorū tum laborū militarium, hoc fortè modo:* Quicquid Imperator juſſerit, Fabiorū erit: quicquid Decuriones laboraverint, Fabiorum erit: quicquid milites egerint, Fabiorum erit. II. *Adjunctum inde deſumatur, quod PRIMI id beneficij genus Reip. præſtent.* *Iterum per collationem cum alijs hic dicatur,* quantumcunque fortiter in bellis alijs alij geſſerint, impendendum tamen fuiſſe ærarium: Reipubl. vigilandum, conſu-

lendum fuiſſe Patribus pro ſalute urbis, aſt horum omnium hic iterum nihil commune, curæ publicæ receptaculum eſt pectus Fabiorum futurum: hanc unam gentem, dum in hoſtem prođitura ſit, univerſæ Reipubl. compendium futurum, indeque hanc æternam ejus laudem permanſuram, fuiſſe illud tempus, cum unius gentis Fabiæ humeris univerſa urbis felicitas ſuffulta fuerit atque ſuſtenta.

*PERORATIO. abrumpat ſermonem dicendo*, Ea tibi hæc videri, quæ & ſegni cuivis atque ignavo ſtimulos addere valeant. Quî ergo pluribus urgenda putes apud eos, qui ultro rei tam fortiſſimæ peragendæ ſtudio feruntur? *Per correctionem adde*, nihil dubii reſtare de prompta Fabiorum fortitudine, Deos potius rogandos videri, ut tam pulchrum facinus pulchrè ac bellè ſecundent, *quo voto claude*:

DISPO-

752607



# DISPOSITIO XXXIII. CONTINENS

## *EXEMPLVM I. MOVENDI AFFECTVM POENITENTIAE IN FRATRIBVS JOSEPHI SVB PERSONA RVBENIS ex Gen. 42.*

EXORDIVM *ſit abruptum hoc fortè modo:* Experimini nunc ergo tandem, quam ſurdis olim aurib9 prædixi, fratris venditi vindictam. *Rationis loco amplificetur Propoſitio per L. C. quo pravitas hominum deſcribatur,* qui vitiis ita obruuntur quandoque, ut nec cernere nec audire ſalutaria poſſint. *Breviſſimè ſaltem exornetur per allegoriam,* qua vitia nocti ſimilia *eſſe dicas*, cum offundant menti caliginem, *item* obturare ea aurium ſenſum *dicas*, ne ſalutaria percipere poſſint. *Fiat applicatio per hypotheſin cum Apoſtrophe optativa ad fratres hoc forte modo:* Ac utinam nobis etiam fratres melior mens fuiſſet &c.

ſet &c. non utique jam cogeremur ſera pœnitentia dolere noſtrum crimen.

*PROPOSITIO ita connectatur,* quod quidem crimen quo magis cogito, eò juſtiorem pœnitendi cauſam reperio.

*TRACTATIO probet hoc I. ab ADJUNCTIS, tum OBJECTI in quod peccatum fuit, Joſephi, tum ipſius PECCATI. Poterit autem tractatio ipſa directè inchoari ab Expoſitione ipſius Criminis hoc modo:* Fratrem vendidimus &c. *& ſic per Apoſtrophē ad Joſephum venditum commiſerationis affectus immiſceri h.m.* O innocentiſſime Frater, quis inquam ſcelus in te noſtrum dignè ſatis exponat. *Subjungatur deſcriptio Joſephi ex variis Adjunctis, quod videlicet* &Deo &Patri charisſimus fuerit, quod fratrum amantiſſimus, quod culpæ omnis in fratres immunis, quod ardentiſſimis ſuſpiriis & lacrymis ſalutem fratres rogaverit. *Amplificetur hæc deſcriptio per Contraria, quod* neque Caini odium, nec Chami laſcivia, nec Iſmae-

lis ſub-

752607



lis ſubſannatio ipſi placuerit, ſed quacunque potuerit re, fratribus ſervierit. *Exornetur hoc per Hypotypoſin perſonæ Joſephi, cum fratres in paſcuis inviſerit, h.m.* Adhuc cogito viri fratres ſerenum illum vultum, blandos oculos, comem lingvam &c. *Per diſtributionem, quibus omnibus amorem ſuum demonſtraſſe dicatur, contrarium verò affectum fratrum ſubjiciendo, digredere ad alterum Argumenti membrum h.m.* At nos quid interea, odio & invidia pleni, ne aſpectũ elegantiſſimi fratris ferebamus, ignotis profanis, Deique veri ignaris hominibus vendebamus. *Exaggeretur per comparationem h.m.* Parum ſcilicet erat, una morte tollere innoxium, niſi morte omni duriorem ſervitutem experiretur. *Amplificetur per L.C. quo breviter ſervitutis miſerias deſcribas,* quod *videlicet* homini ingenuo & ſpectata familia oriundo morte omni gravior ea exiſtat. *Hæc tamen ita tracta, ut à minori ad majus progrediendo dicas*, cum omnis ſervitus gravis ſit, tum om nium eam

eam graviſſimam, qua mancipia numerata pecunia coemta, & quidem in peregrina vereq; barbara terra premãtur. *II. Ab* EFFECTIS *hujus criminis, tum* RESPECTV JOSEPHI, *tum* PATRIS, *tum* FRATRVM. *Et Joſephi damna, quamvis ex ſervitute ſuperiꝰ propoſita facilè innoteſcant, tamen alia nonnulla adde*, quod chariſſimi Patris amplexu ſit abſtractus, quod facili offenſa peregrini Domini iram provocare, ſicque morte mulctari peſſimè posſit &c. *Reſpectu Patris autem ſummus ille Patris mœror deſcribatur per Hypotypoſin diſtributivam exaggeratus. Amplificetur hoc L. C.* ſummum delictum eſſe tantopere parentes lædere, ut mors mœrore acceleretur. *Aliter amplifica à tenerrimo Patris erga Joſephum amore, qua occaſione devenias in L. Com. de naturali parentum erga filios amore, cum hoc conſequenti*, eò graviorem eſſe amisſorum luctum, quo tenerior præſentiũ fuerit amor. *Reſpectu fratrum duplex effectus proponatur*, graviſſima Dei vindicta,

752607



dicta, cujus initium præſens hæc ſors oſtendat,. & æterna nominis infamia, qua inviſi omnibus futuri ſint, *quæ omnia ut fuſius exaggerentur, ſubjungatur III. à Deſcriptione* CAVSAE EFFICIENTIS *hujus criminis à Fratribus commiſſi. Amplificationis loco deſcribatur* ſanctitas fraterni amoris, quæ arctisſima ſangvinis necesſitudine nititur, ſicque in proprium ſangvinem ſævitum eſſe *proba, quod vix humanum ne dum pium dicas. Exaggeretur per comparationem diſſimilium*, vix in brutis tam teterrimum affectũ occurrere, ut quæ cognato genere oriunda ſunt,. mutuis odijs ſe proſequantur. *Alia comparatio cum Caino*, qui graviſſimè etiam in fratrem peccâvit, ſed non miſeriorem eũ reddidit, cum miſeriarum finem mortem ei intulerit, & juſtiori forte ira abreptus id egit, nos vero nulla re læſi, niſi quod juvenilis error per incogitantiã liberius nonnulla effutijſſet, grandius peccatum admiſimus. *Item cum Chamo*, qui temeraria Patris illuſione divinum

num maledictum promeritus eſt, quid ergo nobis metuendum, qui atrociore longè ſcelere Patrem læſimus?

*PERORATIO cum Apoſtrophe ad Fratres:* Hæc dum cogitamus Fratres, quid æquius, quam ut vera pœnitentia lugeamus, Deique imploremus clementiam, ut venia delicti conceſſa, deſinat gravioribus malis priſtinam culpam punire.

## DISPOSITIO XXXIV.

### CONTINENS

*EXEMPLVM II. MOVENDI AFFECTVM POENITENTIAE IN MARCO CORIOLANO PATRIAM MISERIS MODIS DEVASTANTE ex lib. 2, Dec. 1. Liv.*

E*XORDIVM deſumatur ab inſperata hujus alloquij occaſione, qua* nunquam putaveris, eò rem deventuram fuiſſe, ut Coriolanum hoc modo alloquereris. *Exponatur loco rationis ulte-*

752607



*rius hæc Propoſitio deſcribendo tum exilium Coriolani*, quo, qui ſpectatisſimus paulo ante urbis Senator fuerat, graviſſimè jam affligatur, *tum graviſſimam eam calamitatem urbis, quam ex hoc eadem ſentiat Amplificetur a Conſequenti doloris affectu*, quem ut gravisſimum ex afflicta amici ſorte percipiat, graviorem tamen animo ſuboriri, ex cogitatione hoſtilium illarum machinationum, quibus Patriæ excidium, moliatur Coriolanus. *Subjungatur occupatio*, *quâ dicas*, ſcire te moleſtam hanc Corialano eſſe orationem, *ſed reſponſionem ſubjunge, gemino fundatam, argumento, partim* familiarisſima, qua uſi ſunt amicitia, qua fretus facilem ſibi veniam polliceatur; *partim generoſâ Coriolani mente*, quâ commune id cum reliquis illuſtrisſimis Heroibus habeat, quod faciles motus habeat, unde non difficilius oppreſſum iri hanc iracundiæ flammam, quam facilè exarſerit, ſperet. *Concluſio Exordij cum*

PRO

*PROPOSITIONE:* atque ea mente pluribus cum ipſo agendum te ſtatuiſſe, ut, ſi fieri poſſit, pœnitentia ante actorum ductus meliori menti reſtituatur.

*TRACTATIO duplici nitatur argumento, quorum I. deſcribat* FACTVM IPSVM *varijs modis amplificatum, inter quos initio recenſe ADJVNCTA, quæ pete ex antecedentibus Livij narratis, ex quibus per diſtributionem recenſe*, tum conſpirationem, cum infenſiſſimis Romani nominis hoſtibus Volſcis, qui cũ diu ruinam urbis Romanæ conſiliis decreverint, nunc demum in actum deducturi videãtur nefariè deliberata: tum graviſſima illa damna, quæ jam populo Romano intulerit, ubi plurimarum urbium occupationes, civium expilationes, & omnia quæ bello adeſſe ſolent pericula, *enarra. Subjunge* agri ipſius Romani populationem, & *geminum hujus conſequens*, metum videlicet ſummum, quô ob viciniam hoſtis

752607



hoſtis, omnis urbs proſtrata jaceat, & deinceps gravem Patrum plebisq; diſcordiam, quam dum ipſe Patrum agris parcens, plebeiorum verò agros miſere devaſtans fovet, quid aliud niſi totalem Reipubl. ruinam moliri videatur? *Poteſt hic Amplificatio deſumi à L.C. de ſumma inteſtinorum diſsidiorum peſte*, quâ uti nullam pernicioſiorem Reſpubl. norint, ita quàm ſtudioſiſſimè, ut eam gignant, curare ſolent hoſtes. *Poteris, id ſi placet, illuſtrare exemplis Romanæ Græcæq; Reipubl. hoc facto Coriolani prioribus, & ſic transferendo ad hypotheſin Orationem, per Apoſtrophē ad Coriolanum, petere*, ut cogitet, quanti mali ipſe autor futurus ſit, *commodiſsimaq; hac occaſione ad aliud Amplificationis membrum facti progredi, quod* OBJECTVM, *in quod admittatur illud facinus, videlicet Patria: cujus tractatio ut eo felicius ſuccedat, aſſume ſimul tertiū exaggerationis membrum videlicet* SVBJECTVM, *quod eſt Coriolanus Senator Romanus. Hic jam pro diverſo utriusque*

*reſpectu*

*reſpectu I. Poteris ſanctiſsimum erga Patriam amorem proponere, qui L.C. cum ſæpiſsimè tractatus ſit, tu hac vice intrà unius Romanæ Hiſtoriæ cancellos conſiſte, ac quam inprimis pro ſalute Patriæ Romani laboraverint, oſtende. Affectus majoris cauſa poteris ex oratione Liviana, quam Mater Veturia ad Coriolanum filium habuit, nonnulla decerpere, ut dum graviſsima ea, quæ redundatura ſint in Coriolanum damna, exageras, dolorem ſimul, qui in Coriolani pectore oriturus ſit exaggeres. 2. Coriolani verò reſpectu ſummam eam dignitatem, qua in Patria uſus fuerit, deſcribe, Senator quippe fuit, quem ut deſcribas, per diſtributionem officij partes recenſe, quæ ſunt*, Patriæ conſiliis optimè providere, turbas cōpeſcere, injurias boni publici cauſa defendere, quæ omnia dum negligens exitium paret urbi, quanta indignitate priſtinum honorem maculet, *conſiderare jubeatur. Majoris exa gerationis cauſa à comparatione imparium progredere*, ſi vile caput & ex ima plebe oriundus homo,

752607



homo, tale quid deſignaret, ut ut ferendum non eſſet, adſcriptum tamen iri vel imprudentiæ, vel ſordido ingenio, quod plerumque in ſcelera pronius eſſe ſolet erectis mentibus, ipſe verò tantæ familiæ, tantæ dignitatis, tantæ denique prudentiæ & virtutis vir talia, cum deſignet, quidnam de eo judicaturi ſint cordati, conſiderarit. *Poterit & hic L. Com. tractari*, quo omnia ſcelera tantò graviora judicentur, quo illuſtrior, qui admittit, perſona habetur. *II. Arg. à CAVSA deſumatur. Connectatur per occupationem qua dicere poſſit*, ſe non temere, ſed ſummis injuriis provocatum, exilio inſuper præter meritum mulctatum id conſilii ſuſcepiſſe, *hisce ut reſpondeas, primò ex Livio occaſionem omnis hujus infortunij recita, videlicet*, quod gravis nimiū hoſtis Tribunitiæ poteſtatis, & auxiliationis plebi adverſus conſules conceſſæ fuerit, id tamen quam absq; bono publico egerit, vel inde conſtare *dicas*, quod ea ipſa poteſtas deliberato à Patribus cōſilio

ſilio majoris mali, excidijque communis avertendi cauſa populo conceſſa ſit. *Ex hiſce jam varios L. C. pro demonſtranda iniquitate cauſæ ad Coriolanum directa oratione pertracta, ut 1.* quod parũ laudabile videatur, tam deliberatum tot Patrum conſilium ab uno perſtringi, nedum ut iniquum culpari. 2. quod id requirat prudentia civilis, ut obliquentur interdum ſinus, & quæ iniquitate temporum mutari aut abrogari omnino nequeunt, tolerentur, usque dum commodior ea emendandi occaſio occurrat. 3. quod non omnia ſumma ſeveritate à Magiſtratu publico ſint gerenda, ſed ea moderatione omnia temperanda, ut pro temporum ſtatu lenitas ea toleret, quæ gravior vindicta avertere non poteſt. *Transferantur ad Hypotheſin dicendo,* probè hæc omnia conſtare Coriolano, tot annos Magiſtratus publici honoribus functo. Hinc neqûe hac vice non ita ſui obliturum, ut primis, qui ex præcipite potius impetu, quàm deliberato conſi-

752607



conſilio profluere videntur, affectibus indulgeat, ſed potius ubi deferbuerit aliquantulum primus æſtus, ſaniora conſilia, quæ & amicorum hortatus & propria virtus ſuppeditaverint, agitaturum. *Si placet illud quoq; adde*, ſemper bonum publicum prævalere debere privatis damnis atque injuriis, quod ſi autem affectu nimio præpeditus animus cogitare ea nondum poſſit, ſed privatis tantum damnis aſtimandis intentus ſit, per Permisſionē jubeatur ulterius ea expendere, & hinc facilè animo obverſaturū eſſe, non tantū ſummum illud dedecus, quod famæ honoribusque ſuis ſua culpa inuſturus ſit, ſed & ſummā illā cladē, quæ privatam opprimet familiam, nam & ſub devaſtatione urbis (quam Dij tamen avertant) communi incendio conflagratum iri fortunas proprias, communi cæde ſtratum iri liberos, conjugem, Magiſtratum, quæ quo animo oculoque ipſe percepturus ſit, non intelligere te *dicas*. Neque enim ſi erga Patriam

affectum

affectum exuerit, hominem quoque exuturum eſſe.

*PERORATIO ex abrupto petat veniam libere dictorum, ex eodem, cujus in Exordio facta eſt mentio, fundamento. Porro a confirmandæ benevolentiæ cauſa* optimam ſpem tibi facere & virtutem, & frontem ipſam Coriolani *dicas*, cui ut ſucceſſus adſit, Reipublicæque damnum avertatur te precari.

# DEO GLORIA!

*ERRA-*

752607

# ERRATA CORRIGENDA.

P.1.l.7.lege NEM.p.7.l.14.deleatur, cõma.p.10.l.9.l. ſequẽtia.p.12.l.25.l. redit p.30.l.11.l.intẽperantiſſimas.p.31.l.25. deſiderat.p.45.l.4.l. cauſa.p.47.l.9.pro noſtram l.ſuam.p.48.l.3.l. ſcurrilibus. p.49.l.24. vehe p 50.l.3 l ſunt.p.53.l.10.l. PLVTARCHI.p.62. l. 9. l. obliquato ſinu.ibid.l.15.l. Magiſtratus.p.72.l.16 l. EXEMPLVM.p 82.l.16.l.pietatem.p 84. l.8.l.ut.p.88.l.7.inſcripſit.ibid.l.14.l.caſtris.p.109.l.5.l.metum.p.116.l 16.l. colligant.p.123 l.13.l.ortum pro oratum.p. 124.l.14.l. exprobraturi.p.126.l.10.l.arborum p.138.l.3.l.latiſſimè.p.158.l.22.l. Benevolentiæ.p.165.l.7.l.deinde p.166.l. 20.l.ILIONEI.p.169.l.2.l.ſublevanda.p. 170.l 5.poſt probè deleatur cõma.p.173.l.6. l.exercitos, ibid. expertos.p.186.l.2.l.ſolatij.p.192.l.5.l. urgeas.p.193.l 4.l. vectigalia.p.196.l.8.pro quod l. dum.p.198.l. 12.l. nefarius.p.200.l.12.l.honore.ibid.l. 19.l.deteſtantur.ibid.l.23.pro & l· es.p. 205.l.6.l. fragrantia.p.221.l.10.deleantur ſcire fratres,hinc reipſa quoq; demon-

ſtran-

ſtrandum. *p. 224. l.2. pro 6.l.7. p. 225. l.22. l.* magno. *p.226. l. 24. l.* afferas. *p. 229. l. 12. l.* æmulantur. *p.230. l.13. l.* ſunt. p. *231. l.24. l.* ſimpliciter. *p.233. l.18. l.* generi. *p. 236 l.9. l.* AEMVLATIONIS. *p.237. l. 13. deleatur punctum. p.244. l.8. pro quod l.* quo. *p.245. l.5 l.* ſummorum. *p. 247, l.11. l.* virtute. *p.256. l.22. l.* ſimilia. *p. 259. l.15. l.* ſtrategema. *p.263. l.-20. l.* operaturum. *p. 273. l.17. l.* accidit. *ibid. l.18. l.* depravatas. *p.282. l.5. l.* eripiatur. *p. 288. l.21. l.* obtinuerint.

Atque hæc potiſſima ex ijs, quæ per errorem irripſerant, videbātur, quæ uti benevolus lector emendare, ſimulque ſi alia præter hæc occurrerint, ignoſcere feſtinationi haud gravetur, rogo.

# INDEX.

752607

# INDEX RERUM,

cujus Numerus paginam notat.

## A.

ABel laudatur p.274.
Abigail excuſat Nabalis delictum. 56.59.
Achillis & Ajacis conſanguinitas. 212.
Adamus conſideratus 272. & ſeqq.
Aegyptus quas calamitates Iſraelitis dederit. 111.
Aemulationis movendæ Præcepta, Exempla, Ideæ, 229. & ſeqq. SUBJECTUM 229. OBJECTUM. 230. CAUSA ibidem.
Aemulatione poſſibilia ſectamur 230.
AENEAE conſideratio 79. & ſeqq. 150. 168. 226. ſocij deſcripti poſt naufragiũ 131. & ſeqq.
Aequalitas Rerumpubl. fundamentum. 264.
Affectatus ſtylus impedit miſericordiam. 6.71

*Affectus quid Stoicis. 2. eleganter ut moveatur, artificium occultandum. 8. turpiſſimorum vitiorum in multis cauſa. 23.*

*Affectus omnis Orationis pars capax. 10.*

*Affectus concitati & compoſiti quid? 1. laudati contra Stoicos 15. quomodo minuendi aut tollendi. 10. vituperati e mente Stoicorum. 19.*

*Affectuum definitio. 2. movendorum ratio tribus conſtat. 3. tractatio à Rhetotorica non aliena. 2. turpitudo & damna ſub Allegoria militaris conflictus propoſita. 22. variè mixtorum Exemplum. 11. & ſeqq. utiliſſimus Effectus ſub Allegoria venti navigia provehentis expreſſus, 18. & per elevationem confutatus. 24.*

*Affinitates Principum robur confirmant. 225.*

*Afflicti afflictos difficulter conſolantur. 131.*

*Agrippa avus Caligulæ Judæis favet. 192.*

*Ahasveri deſcriptio 164, 165.*

752607



*Ajax conſideratus 207. & ſeqq.*
*Ajacis cum Hectore duellum & præmium 211.*
*Alexandri laus & demortui deploratio. 43.*
*Ambitio honeſta. 294.*
*Amicus certus in re incerta 227.*
*Amicorum diſſidia non in iras abire debent. 65.*
*Amor felicius virtute quam verborum lenociniÿs movetur. 68. fratrum ſanctus etiam naturâ docente 302. ergæ prolem naturalis 301. inhoneſtus quomodo eximendus animis 68. & 69. Patria 294. & 307.*
*Amoris movēdi Præcepta, Exempla, Ideæ 65. & ſeqq. SVBJECTVM 66. OBJECTVM ibid. CAVSA 67. Vis per omnē creatorum ordinem diffuſa 72. & 73.*
*Animi & corporis morbi 273.*
*Animi venuſtas æterni amoris fundamentum 74.*
*Animi præoccupatī contrario nobis affectu, quomodo tractandi. 8.*

*Avaritia vituperata 95.*
*Auguſtus Caligulæ proavus cum Conjuge Judæis favet, & victimas DEO altisſimo ſuis ſumptibus offerri jubet. 193.*
*Autoritas imperantium imperia confirmat 35. Oratoris multùm juvat affectus movendos. 4.*
*Auxilia quæ gratiſſima. 83. 116. 154.*

B.

*Babylonicus carcer. 290.*
*Barbari Deorum cultum obſervarunt. 94.*
*Bellorum damna 63.*
*Boni quando facilimè indignentur. 211.*
*Brutorum erga fœtus Storgæ. 221.*
*Brutus Regum exactor laudatur. 266.*

C.

*Caini fratricidium. 272. & ſeqq. 302.*
*Caligula conſideratus. 188. & ſeqq.*
*Caligulæ majores. 192.*
*Carcer Babylonicus. 290.*

Car-

Carthaginenſium inhumanitas adverſus Trojanos 167.
Cauſini monita de affectibus movendis generalia 7. & ſeqq. circa gaudij affectum 250. circa metus ſubjectum. 101. 102. crca miſericordiæ affectum. 176. 177.
Chami conſideratio. 302.
Chriſti deſcriptio 90. per Judam proditio ibid.
Civitatum condendarum cauſa 169.
Clades Cannenſis 278.
Clementia Principum juſta ſeveritate temperanda. 34. 56.
Communi conſilio non temerè contradicendum. 319.
Communio in Republ. quo conſtet. 277.
Condolere naturale eſt. 181.
Confidentiæ movendæ Præcepta, Exempla, Ideæ. 119. & ſeqq. Subjectum 119. Cauſa 120. Objectum non peculiariter conſideratur. ibid. uſus maximꝰ in quo Orationum genere. 121.
Confuſus ſtylus vehementiam affectus ornat. 8. 9.

*Conſiliorum militarium pro diverſis objectis diverſa ineundorum ratio.* 40.
*Conſuetudo mala mitigat.* 132.
*Conteptus ab Ariſtotele obiter tractatus* 231.
*Contemptus imperantium imperiorum peſtis* 35. 203.
*Contemptum acerrimè vindicant Reges.* 118.
*Coriolanus deſcribitur* 304. *& ſeqq. quæ contra Romam molitus.* 305. *& ſeqq.*
*Corocotæ mira feſtivitas in lenienda Augusti ira.* 50.
*Corporis & animi morbi.* 283.
*Cultus divinus Iſraelitarum.* 288.

D.

*David victor Goliathi* 255. *& ſeqq.*
*Davidis amicitia cum Jonathane* 71. *& ſeqq. conſideratio* 34. 58. 75. 76. 237. *& ſeqq. duellum cum Goliatho.* 256. 258. 259. *Peritia Muſica.* 75.
*Degeneratio à virtute, turpitudo ſumma* 149.

*Delæ-*

752607



Delatores non audiendi à regibus 165.
Deſiderium reprimitur 284.
Deſiderij movendi ratio. 282.
Deſperationis turpitudo 129.
Deus affectus homini indidit. 16. Dolos maxime averſatur & vindicat 169. & promiſſiones & minas certò exquitur 127. 284. Non niſi optima produxit. 17. Parens, Rex, Paſtor noſter. 128. Spei, quam jubet, eſt fundamentum. 127.
Dei in adjuvãdo promptitudo. 128. mirãda Iſraelitas exercendi ratio 113. opus movere affectus. 3. vindex oculus. 146.
Deo irato uti grande malum 279.
Diabolus Hypocrita. 276.
Dictator ſupremus Romanæ ſalutis aſſertor. 116.
Dido deſcribitur. 169. & 170.
Diverſi affectus quomodo miſcendi. 7.
Divinæ providentiæ mirabiles viæ. 183.
Doëgus deſcribitur. 203. 204. 205.
Doloris movendi præcepta, Exempla, & Ideæ 267. & ſeqq. leniendi modus. 268.

## E.

*Eligendorum regum communis debet eſſe conſenſus.* 41.
*Eloquentia ſingularis in affectibus movẽdis neceſſaria.* 4.
Επιχειρέκαικοι. 182.
*Equites Alexandri accuſati à peditibus.* 38. *ſe excuſant* 60. & *ſeqq.*
*Evandri conſideratio.* 79.
*Exemplorum magna vis* 273.
*Externa rerum ſpecies ſæpè fallit.* 20. 74.

## F.

*Fabij laudati* 292. & *ſeqq.*
*Famæ conſervandæ ſtudium.* 144. 222. 226.
*Fames omni virtute potentior.* 115.
*Familiaritas nimia contemptum parit.* 203.
*Fata immutabilia.* 170.
*Fatorum certitudo ex mente Pagana.* 134.
*Feſta Iſraelitarum.* 289.
*Fides ſanctè ſervanda.* 145.

*Filio-*

752607



*Filiorum & parentum ſumma neceſſitudo 97. in brutis etiam elucens. ibid.*

*Fortitudo non adeſt timori. 281.*

*Fortuna animos addit 117. Cæca paganis 202. inſtabile honorum fundamentum 243. maximæ viciſſitudini ſubjacet. 126. prout mare maximis motibus 134. Proſpera tanto gratior, quanto, quæ anteceſſit, gravior. p. 135.*

*Fortunæ communis communis ſenſus. 277.*

*Fortunarum diſſimilitudo non obſtat amori ſimilium animorum. 76. ſimilitudo tamen interdum fortiſſime animos conſtringit. 80. 81. Ejusdemq́ cauſa. ibidem.*

*Fraternus amor ſanctus naturâ etiam monente. 302.*

*Fratres Joſephi 219. & ſeqq. 298.*

*Fratrum inter ſe ſuperbia turpiſſima. 219.*

G.

*Gallorum furor. 116. 117.*

Gaudentes ſomniantibus ſimiles. 225.
Gaudij affectus quomodo movendus. 249.
Gaudio non omnes uno ducuntur. 250.
Generalia de affectibus movendis præcepta. 5. & ſeqq.
Generis in utrãq; partem magna vis. 209.
Generoſæ mentes non cum quovis adverſario congrediuntur 55. 279. utut & ipſæ in errorem prolabuntur, tamen faciles motus capiunt. 59. honores liciè ambiunt. 294.
Goliathi & Davidis duellum. 256.
Grata malorum memoria. 135.
Gratia & Miſericordia quomodo differant. 152.
Gratiæ movendæ Præcepta Exempla & Ideæ p. 153. & ſeqq. Subjectum, Objectum, Cauſa ibidem.

H.

Hannibal juratus Romanorum hoſtis. 280.
Hecatoncephalos Plinij. 82.

Hiero-

*Hieroſolymitani Templi deſcriptio.* 289.
*Hominis dignitas rationi obſequentis, & vilitas libidini ſubjacentis.* 143.
*Homines Dei minas dupliciter ſpernunt.* 285.
*Honor virtute nititur.* 243.
*Honores digne uſurpandi.* 244. 247. *dignis conferendi* 244. *æqualiter ex merito omnibus tribuendi.* 263.
*Honorum ambitus licitus.* 294.
*Hypocriſeos ſcelus.* 276.

I.

*Idem velle & idem nolle unde oriatur.* 77.
*Illuſtriorum vitia conſpectiora quàm plebejorum.* 308.
*Immiſericordes qui?* 172.
*Imperatores Ethnici Judæis favent.* 193.
*Imperia autoritate regentium ſtabiliuntur.* 35.
*Indignatio quomodo fortiſſimè moveatur.* 197.

*Indignationis movendæ præcepta, Exempla, & Ideæ 195. & ſeqq. Subjectum 195. Objectum. 196. Cauſa ibidem.*
*Indignatione quando facilimè boni moventur. 211.*
*Indoles fortiſſimus ad virtutem ſtimulus 24. 148.*
*Ingratitudinis vitium. 37.*
*Inſultatio hoſtium. 64.*
*Interregnornm damna 62.*
*Inteſtina diſſidia 61. 63. 306.*
*Invidia inter ſimiles. 214.*
*Invidiæ movendæ Præcepta, Exempla, Ideæ 213. Subjectum ibid. Objectum 214. Cauſa ibid.*
*Invidiam quare doceat Orator. 213. quid exſtinguat 215. quomodo incruſtent homines ibid. quomodo movere debeat Orator ibidem.*
*Jobus deſcribitur 125. & ſeqq. 182. & ſeqq.*
*Jonathanis conſideratio 71. & ſeqq. 239. 240. cum Davide amicitia 71. & ſeqq.*
*Joſephus deſcribitur 142. 219. & ſeqq. 299.*
*Ira Regum clementia temperanda. 56.*

*Iræ*

752607



*Iræ movendæ Præcepta, Exempla, Ideæ 25. & ſeqq. Subjectum 25. Objectum 26. Cauſæ. 27.*

*Iram moturus Orator, quæ vitabit ne vitium incurrat. 27. 28. 29.*

*Iſraelitæ ad mare rubrum deſcribuntur. 108. & ſeqq.*

*Iſraelitarum calamitas in Aegypto. 111. cultus divinus. 288. feſta 289.*

*Judæ deſcriptio 90. & ſeqq. proditio exaggeratur. 91. 92.*

*Judæi acerrimi Chriſti hoſtes 90. Caligulæ pro conſervatione religionis ſupplicant. 188. & ſeqq.*

*Judæorum devotio erga Caligulam 190. miſeria. ibid. Oratio ad Petronium. 191.*

*Jura communia fortisſimè àſſerenda. 44.*

*Juſtitia diſtributiva. 222.*

*Juſtitia imperiorum fundamentum. 170. in quo conſiſtat. ibid.*

*Juvenum robur Sapientum conſilijs junctum defendit Reſpubl. 116.*

L.

*Lachrymæ citò areſcunt.* 177.
*Læti ſomniantibus ſimiles.* 251.
*Lætitiæ movendæ Præcepta, Exempla, Ideæ* 248. & ſeqq. *Cauſæ ibid. Subjectū.* 249.
*Latinus Turnum eludit.* 225.
*Lenitatis movendæ Præcepta, Exempla, Ideæ,* 46. & ſeqq. *Subjectum* 46. *Objectum* 47. *Cauſæ* 48.
*Lenitatem movendam multum juvat tēporis opportunitas* 49. *qui facilimè moveant. ibid.*
*Liberorum orbitas cur gravis* 185. *Vtilitas ibid.*
*Libertas vera* 243. *ſummum bonum* 262.
*Libertatis ſummum ſtudium.* 221.
*Libido deſcribitur.* 142. & ſeqq. *graviſſimè à Deo punita.* 145.
*Libidinis ſumma damna p.* 100. *præſertim ſi Regibus adſit. ibidem.* & 264.

M.

*Magiſtratus collatio cum Parentibus* 115. *officium.* 192.

752607



Majorum in utramq; partem magna vis. 209.

Mala mitigantur conſvetudine, prout inexpertis graviſſimè incumbunt. 132. 133.

Maxima ingenia maximis obnoxia vitijs. 99.

Maximi affectus ſilentio interdum moventur. 9.

Medea varijs agitata affectibus è Seneca proponitur. 11. & ſeqq.

Metus movendi Præcepta, Exempla, Ideæ 101. & ſeqq. Subjectum ibid. Objectũ 102. Cauſa 103 Exaggeratio Ariſtotelæa ibid. ut diverſa apud diverſos operatio, ita movendi ratio. 105. 106.

Metum moturꝰ ne nimis ſit verboſus. 105.

Militares orationes proſunt. 242.

Militum animi cur aliis ferociores. 38. 39.

Minæ Dei pœnis ſubſequentibus confirmãtur. 127.

Minas Dei quomodo ſpernãt homines. 286.

Minuuntur affectus tribus modis. 10.

Miſeria arctisſimè conjunctorum quomodò moveat. 174.

Miſericordia & gratia quomodo differãt 152.

Miſe-

Miſericordiæ movendæ Præcepta, Exempla, Ideæ 172. & ſeqq. Subjectum. ibid. Objectum 174. Cauſa 175.
Miſericordiam auget oculorum ſenſu 175. exſtinguit affectatus ſtylus. 176.
Modus in movendis affectibus tenendus. 6. 9.
Monarchiæ uſus. 265.
Monſtra corporum cum vitijs animi collata 96.
Morbi animi & corporis. 273.
Mors malorum omnium graviſſimum. 162. & 163.
Mortis poteſtas. 274.
Moſes. 108.
Muſicæ vis 75. cum virtute collatio 76.

N.

Nabal deſcribitur. 37. 55.
Nabalis in Davidem delictum exaggeratur. 37. & ſeqq.
Naturale amoris conciliandi medium generis ſimilitudo. 79. 80.
Neceſſitatis magna vis. 62.

752607



*Nero deſcribitur. 96. 97. 98. Matricida, quod ſcelus exaggeratur ibid. & ſeqq.*

O.

*Obliquandi ſinus prudenti 309.*

*Oculorum ſenſus in miſericordia efficax. 175. & in luctu. 268.*

*Odium non temerè concitandum, ſed adverſus meritos. 89.*

*Odij movendi præcepta, Exempla, Ideæ, 84. & ſeqq. cum Ira magna cognatio. 85. Subjectum ibid. Remiſſio ibid.*

*Oratio animum addit militi 147. in affectu pudoris qualis eſſe debeat. 139.*

*Orationum militarium uſus. 242.*

*Oratoris maxima laus è miſericordiæ affectu. 178.*

*Oratori moturo affectum quæ adeſſe debeant. 3. & 4.*

P.

*Palæſtinæ deſcriptio. 286.*

Parens

*Parens in domo ſua Rex.* 219.
*Parentes non lædendi.* 301.
*Parentum amor in ſobolem naturalis.* 301. *& liberorum ſumma neceſſitudo, etiã in brutis elucescens* 97. *collatio cum Magiſtratu.* 115. *ſumma cura* 273.
*Paupertas quib9 graviſſima* 185. *ab omnibus deſerta.* 86.
*Pax conſiderata.* 227.
*Pedeſtris exercitus cũ Equeſtri collatus.* 45.
*Pedites Alexandri laudati.* 64.
*Perdiccas culpatus.* 43.
*Peregrini promptisſimo amore juvãdi.* 78.
*Perverſum mundi judicium.* 201. 202.
*Pharao deſcribitur.* 110.
*Philiſtæi.* 256.
*Pietas Evandri & Aeneæ.* 82.
*Plebeijs modicè deferẽdi honores.* 203. 204.
*Pœnitentia quis affectus?* 284.
*Præmia promovent virtutem.* 237.
*Primi motus.* 309. *&* 310.
*Primogenitorũ privilegia in. V. T.* 218.
*Principiis obſtandum* 42.
*Principum robur affinitatibus cõfirmatur* 225. *vitia, ſubditorum peſtes.* 100.
*Proditionis fœditas p.* 91.

Pro-

752607



*Promiſſiones divinæ ſemper eventu confirmatæ. 128.*
*Providentiæ divinæ mirabiles viæ. 183.*
*Prudens obliquat ſinus. 309.*
*Publica anteferenda privatis. 310.*
*Pudor quomodo ad affectus referatur. 136. aliter apud bonos, aliter apud præfractos movetur. 138.*
*Pudoris movendi Præcepta, Exempla, Ideæ 136. & ſeqq. Subjectum ibid. Objectum ibid. Cauſa 137. Artificium ex Voſſio allegatum. 138.*
*Pulchritudo amoris conciliatrix, ſed maxime animi, unde allegorice hujus & corporis confertur. 74. & 75.*
*Purpura ſæpe magis quam Perſona Regis colitur. 238.*

R.

*Rationis in homine dominium. 143.*
*Reges communi ſubditorum ſuffragio eligendi 41. injuriæ impatientiſſimi. 110. ſed acerrimi vindices 118. quo fine à Romulo conſtituti 265. quo medio Deo ſimilimi fiant. 58. 164.*

Regum clementia laudata 189. extrema peſtis libido 100. infelix conditio 238. 239. ira gravis 110. labor ſubditorum ſtimulus 240. officium ſubditorum pericula depellere 36. peſtes delatores 165. potentia variè uſurpatur, aſt quomodo laudatisſimè. 164. ſumma gloria 238. cum Sole comparatio. 240.
Regibus prudenter converſandum cum officiarijs. 203.
Regnorum novorum conditio. 239.
Rerumpubl. fundamentum æqualitas 264.
Romæ miſeranda ſub Gallis facies 114. & ſeqq.
Romanus Magiſtratus. 192.
Romanorum virtus. 114.
Rutulorum indoles & educatio. 148.

S.

Sapientum conſilia Rerumpubl. præſidia. 115. juvenum robore perficienda. 116.
Satyræ quo affectu potiſſimum gaudeant. 197.
Scenica vitanda Oratori 251.
Sena-

752607



Senatoris officium 307.
Seneca Neronis informator.98.
Senecæ varia leniendæ iræ remedia.53.
Senſuum externorum in movendis affectibus vis 249.268.
Servitus deſcribitur 300. duriſſima 243. reprimit indolem.246.
Servus diverſo reſpectu.142. Vtilia quoq; monere poteſt. ibid.
Severitas prudenter exercenda.309.
Similitudo amoris fundamentum.76.77. æmulationis item.230. animorum non impeditur diſſimilitudine fortunarum 76. morum feliciſſime affectus movet 4. ſtudiorum amores gignit 82.
Siſyphus Vlyſſis Parens 208.
Solis cum Rege comparatio 240.
Spes præſentisſimum malorum levamen 112.130.
Spei allegorica conſideratio 130. cum æmulatione cognatio 231. conſiderationem vide ſub Tit. Confidentiæ, inprimis etiam 127.129. mater conſcientiæ bona 129.
Storgæ brutorum erga fœtum.221.

*Stylus reſpondeat affectui.* 9.
*Subtilitas rerum nimia obſtat affectibus movendis.* 8.
*Superbia inter fratres perniciofiſſima.* 219.
*Superbi odioſi.* 219.
*Supplicia quomodo aſpicienda.* 184.
*Sympathia hominibus naturalis.* 272.

## T.

*Tarquinij Superbi regimen.* 264.
*Temere judicantiũ vituperium.* 15. & 20.
*Templi Hieroſolymitani deſcriptio.* 289.
*Tiberius Caligulæ avŭ paternus Judæis favet.* 193.
*Timere & vereri differunt.* 106.
*Timor non decet fortes.* 209.
*Timoris allegorica deſcriptio.* 256.
*Timori non adeſt fortitudo.* 281.
*Tolluntur affectus tribus modis.* 10.
*Tribunitia poteſtas.* 308. & 309.
*Trojanorum viciſſitudines* 132. & *ſeqq.* 167. & *ſeqq.* 171. *vituperium* 150.
*Turnus conſideratus* 24. & *ſeqq. eluſus à Latino.* 225.

752607



Turni in Latinum merita. 227.
Tyrannis crudelium victorum. 112.

V.

Vana amorum conciliandorum media. 81.
Vehementes affectus non ſubitò prorumpant. 7.
Veniæ impetrandæ facilimum medium. 57.
Venus mater Aeneæ. 134.
Verbum Dei veriſſimum. 127.
Vereri & Timere differunt. 106.
Viæ piorum & impiorum. 183.
Viciſſitudo omnibus ſua adjacet, etiam à præſtantiſſimis in utramq; partem. 126. 168. 169. 171.
Victoria animos addit. 281.
Victorum mores 281. Tyrannis ſi crudeles ſint. 112. 281.
Virtus animos ab adverſario quomodo ſumat. 151. ad ardua 245. cum indigno difficulter congreditur. 279. Honoris fundamentum 243. non ubique naſcitur. 205.

*Virtutis allegorica ſub Muſica conſideratio* 76. *feliciſſimum incrementum* 236.
*Virtutis immota conſtantia* 129. *per allegoriam ſcopuli* 133. 165. *incunabula* 148. *maxima pulchritudo* 72. & *ſeq. ſumma laus* 291. & 292. *vis in amore conciliando* 81.
*Vitia animi cum corporum monſtris collata.* 96. *nocti ſimilia* 298.
*Vlyſſis genus, adjuncta & aliæ conſiderationes* 208. *inprimis meticuloſitas* 209. *vafrities* 210.
*Voſſii monitum de affectu confidentiæ* 119. *pudoris* 138.
*Vulgi ingenium conſideratum.* 35.

Lelt.

752607

1652 x

752607